



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

Quæstio XX. In Titvlvm XX. De Fevdis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)



## QUÆSTIO XX.

## IN TITVLVM XX. DE FEVDIS.

1660 **I**nter alienationes rerum Ecclesiasticarum, de quarum alienationibus licitis, vel illicitis, per complures jam titulos in præcedentibus actum est, numeratur etiam contractus feudalis, & emphyteuticus, quorum utroque transfertur in Vasallum, vel Emphyteutam, dominium utile ipsius rei, quæ illis in feudum, vel emphyteusim conceditur, de utroque in præfenti, quantum attinet ad hunc titulum in sacris canonibus, dicemus.

## ARTICULUS I.

## De contractu Feudali.

1661 **Q**uæstio 1. est, quid sit feudum? ac unde dicatur? &c. Feudum, teste Molina tom. 1. D. 10. dici à fide, seu fidelitate, quam feudatarius domino servare debet, vel à fœdere, quod inter utrumque iniri solet; verum Azor tom. 3. lib. 10. c. 1. magis probat sententiam eorum, qui dicunt feudum esse vocabulum Gothicum, vel Longobardicum, quod forte deducitur à Germanica voce, *fidi* quæ significat bellum, seu militiam; prædia enim bello occupata victor suis militibus fruenda tradebat, ea lege, ut eum dominum agnoscerent; seque Clientes, præstito aliquo *personali obsequio* profiterentur.

1662 **L**essius l. 2. de Just. c. 24. n. 5. ex Julio Claro de Feudo, q. 4. sic feudum definit: *est concessio rei immobilis, vel a quoipollentis cum translatione utilis domini, proprietate retenta, sub onere fidelitatis, & obsequii personalis repetendi*; unde ex eo præcipue differt ab Emphyteusim, quod in hac solvatur *pensio*; in puro feudo solum *obsequium personale*: Si vè-

Tom. III.

ro aliquando solvatur aliquid in recognitionem domini directi, ex hac parte declinabit ad emphyteusim. Feudatarius (ut exponit Molina tom. 1. D. 10.) est ille, cui feudum conceditur, qui alio nomine *Vasallus* nuncupatur; & ex his patet ad quæst. 1.

1663 **A**ltera quæstio est, quotuplex sit feudum? &c. Ex variis textibus citatis per P. Azor tom. 3. l. 10. c. 1. feudum dividitur 1. in *proprium*, quod conceditur simpliciter, nulla certi temporis, aut certi obsequii determinatione; & *improprium*, quando certis temporibus, & certis locis, certum obsequium, vel officium designatur; si igitur officium, quod feudatario imponitur, sit procurare res Principis, dicitur *feudum Castaldia*, id est *procuratoris*; si officium sit, certam aliquam arcem custodire, dicitur *feudum Guardia*, id est, *custodia*.

1664 **S**ecundo in feudum *Régale*, quod conceditur ab Imperatore, vel Pontifice Romano, vel Rege, vel saltem à Principe non recognoscens superiorem, & semper annexam habet dignitatem, ducatus, Marchionatus, vel Comitatus, & Similes; & *non Régale*, quod conceditur à Rege, vel quocunque alio, ita tamen, ut nullam ex prædictis dignitatibus annexam habeat. Dividitur 3. in nobile, & ignobile; *nobile* dicitur, quod suum possessorem nobilem facit, aut ostendit, & solum ab Imperatore, vel à Rege conceditur; *ignobile*, alio nomine.

1665 **B**urgense est, quod à plebe, vel privatis hominibus concedi solet. Dividitur 4. in Ecclesiasticum, & seculare: *Ecclesiasticum* est, quod Ecclesia dat alteri, vel ipsa accipit ab alio, vel quod

Ddd 2

in



in Clericum confertur, vel quod Clericus ut talis accipit; *Seculare* est, quod à civili Principe, vel quocunque alio laico accipitur.

Dividitur 5. in reale, & personale: *Reale* dicitur, quod perpetuum est, nec ad hæredes transmittitur; *personale* extinguitur cum persona, & ad hæredes non transit.

1666 Dividitur 6. in masculinum, & foemininum; *masculinum* est, quod solum ad mares transit; *foemininum* est, quod etiam ad foeminas ex pacto transire potest; foemina enim in feudum non succedit, nisi id per pactum exprimitur.

Dividitur 7. in antiquum, paternum, & novum; *antiquum* est, quod majores communis agnationis supra quartum gradum habuerunt, quales tritavus, & alii superiores.

1667 *Paternum* est, quod parentes, seu progenitores usque ad quartum gradum habuerunt, quales avus, abavus, atavus; *Novum* est, quod habet initium in persona investiti, nec à progenitorum successione transmissum fuit. *Maternum* illud vocatur, quod à foemina, cognationis capite, descendit, & juxta Baldum iisdem regulis tractatur, quibus antiquum, & paternum.

Dividitur 8. in dividuum, & individuum; *dividuum* est, quod admittit divisionem, qualia ea, quæ dignitatem non habent; *individuum* est, quod divisionem non admittit, qualia ducatus, Marchionatus, Comitatus, & reliqua, quæ dignitatem habent.

Dividitur 9. in Ligium, & non ligium: *Ligium* est, cum quis jurat domino, se fidelem futurum contra omnem hominem, nullo excepto: unde videtur sortiri nomen, à ligatione, seu legalitate: *non ligium* est, quando in juramento fidelitatis excipitur aliquis, ut qui jurat se Duci, futurum fidelem, & excipit Imperatorem, vel Regem.

1668 Præter hæc dantur quædam feuda, quæ dicuntur *franca*, seu libera, quæ scilicet possideri non possunt, nisi per *homines Francos*, hoc est *liberos*, & *nobiles*, vel genere, vel Regis privilegio, eosque immunes ab omni onere con-

tributionum &c. quibus obnoxii sunt ignobiles, & plebeis; alia, quæ dicuntur *emptitia*, quod à Domino pretio comparare possint. Hoc à ratione feudi recti, & simplicis, non deficit, nisi in eo, quod gratuitum non est; emptio tamen substantiam feudi non mutat. Feudum præterea aliud est *annale*, quod conceditur sub pacto, ut annum duret; *Conditionatum* auctore Zafio, idem est, atque ad certum servitium adstrictum. *Degenerans* est, non rectum, sed id, quod à vera ratione legitimi, ac recti feudi degenerat, seu deficit. Vera autem, & compendiosa ratio, seu natura *recti feudi* hæc est: quod *ex gratuito beneficio domini originem ducat, quod ad hæredes transire postulat: quod consuetudine in re immobili*; quod vassallus ad incerta servitia, fidelitatis sacramento, obstringatur; quod sine culpa amitti non debeat: quod sine Domini, vel agnatorum consensu alienari non possit.

Quamvis autem *Livellus*, seu Libellus, & contractus Libellarius (ut notat Lessius l. 2. c. 24. n. 6.) passim accipitur tum pro emphyteusi, tum pro feudo (unde communiter id, quod datur in emphyteusim, vel feudum, dicitur dari in livellum) tamen annuente Molina tom. 2. D. 471. Livellus, seu contractus Livellaticus dicitur proprie, quando emphyteuta, vel Feudatarius rem eam, quam in feudum, vel emphyteusim accepit, scilicet contractu, tradit tertio, ut sit veluti *subfeudum*, vel *subemphyteusis*. Unde *livellare* est idem, ac *subinfeudare*, hoc est primum feudum acceptum dare in feudum, vel *subemphyteusicare*, hoc est primam emphyteusim acceptam dare in emphyteusim. Et hoc potissimum tradit ex variis Authoribus Benedictus Pereyra in Elucidario, l. 2. Elucidat. 13. sect. 2. à n. 993. ad rectam notitiam terminorum in hac materia frequenter occurrentium.

Not. præterea, inter species feudo- 1670  
rum etiam numerari feudum *hereditarium*; feudum *ex pacto*, & providentia, & *mixtum*. Hereditarium est illud, quod vigore investituræ accipitur pro se, & hæredibus, quibuscunque  
tam



ram suis, quam extraneis, sed maribus; Feudum *ex pacto, & providentia* est, quando accipitur pro se, & filiis, seu liberis, nulla facta mentione *hereditum*, qua talium; in quo feudo proinde non succedunt nisi descendentes masculi; & hæc species est maxime secundum naturam feudorum, quæ communiter sanguini conceduntur: vocatur etiam *familiare*; quia in familia primi acquirentis manet; *mixtum* feudum est, quod de utroque participat, quatenus accipitur pro se, liberis, & hæreditibus etiam extraneis, sed masculis tantum.

1671 Not. 2. Inter præcipuas qualitates, seu proprietates de jure, vel consuetudine requisitas ad feudum proprie dictum, ac ei ipso jure insitas communiter numerari sequentes, ut sit res immobilis, vel æquipollens; ut ejus dominium utile transeat in accipientem; directum vero maneat penes concedentem: ut ad masculos descendentes transeat, idque in perpetuum: ut fidelitas jurata præstetur domino; ut ex illo servitium personale, & indeterminatum debeatur; ut gratis concedatur; ut sine consensu Domini alienari non possit, nec sine culpa vasalli ei auferri, & similia, quæ pleraque ex definitione, seu descriptione feudi elici possunt, ut tradit Rosenthal. tract. de feud. c. 2. concl. 52. Haunold. tom. 3. tr. 9. à n. 590. & alii.

1672 Not. 3. Ex prædictis conditionibus duas tantum pertinere ad substantiam feudi, videlicet ut in feudum detur res immobilis, vel quæ talis habeatur; & ut is, qui rem in feudum accipit, fidelitatem, & obsequium domino promittat, ac præster, sive cum juramento, sive sine illo; & consequenter, ut dominium *directum* maneat penes dominum; & *utile*, in feudatarium transeat. Reliqua vero in feudo sunt præternaturalia, ac veluti accidentalia, quæ salva feudi substantia per pactiones mutari possunt. Sic Rosenthal. cit. c. 53. Haunold. cit. n. 590. Azor p. 3. l. 10. c. 3. q. 2. & alii; quibus præmissis potissimum nostri fori est agere de feudis Ecclesiasticis; Igitur:

§. I.

*Quanam bona Ecclesiastica in feudum concedi possint?*

1673 Communis regula est, quæ Ecclesiæ alienari non possunt, nec concedi posse in feudum; feudum enim habet rationem alienationis, & quidem magis, quam emphyteusis, ideoque difficilius in rebus Ecclesiasticis Prælato permittitur: partim, quia feudum magis ad naturam beneficii, ac donationis, accedit, ut pat. ex lib. 2. Feud. tit. 23. §. *beneficium quid sit*; & §. *imprimis*; donatio autem specialiter prohibita est Prælato, quippe non domino, sed administratori tantum Ecclesiæ, c. 2. de donat. partim, quia feudum fermè difficilius, aut tardius ad Ecclesiam revertitur, quam emphyteusis: nam feudum est jus alieno prædio in perpetuum fruendi, quod pro beneficio dominus dat, ea lege, ut qui accipit, sibi fidem, & militiæ munus, aliudve servitium exhibeat, ut colligitur ex lib. 2. feud. *Qualiter autem res Ecclesiasticæ alienari possint?* constat ex tit. 13. à n. 1148. præsertim concessione in feudum à n. 1240. ubi diximus, quando res in feudum ab Ecclesia *concedi solita*, rursus similiter in feudum conceditur, in hoc casu non requiri solennitates juris, modo res illa, antequam fiat hæc concessio, non sit Ecclesiæ rursus incorporata; secus si foret concessio *nova*, & non *antiqua continuatio*; de conditionibus porro requisitis, ne dicatur *nova*, diximus à n. 1243. his positis:

1674 Prima quæstio est, quæ veniant in consequentiam rei, cujus investituram in feudum quis accipit? R. venire illa, quæ tradi deberent emptori re vendita, cujusmodi sunt ea, quæ ibi reperiuntur tanquam ordinata ad percipiendam ex illa re plenam utilitatem, seu fructum. Hinc concessa in feudum (vineæ v. g. vel sylva) censetur per consequentiam quoque concessum *solum*, juxta L. 13. ff. loquentem de servitutib. prædiorum Rustic. ibi: *certo generi agrorum acquiri servitus potest, velus vineæ, quod*

D d 3



quod ea, ad solum magis, quam ad super-  
ficiem pertinet: ideo sublatis vineis servi-  
tus manebit; sed si in contrahenda servi-  
tute (idem est in constituendo feudo) ali-  
ud actum erit, doli mali exceptio est ne-  
cessaria.

1675

Quæstio est 2. an, si contingat vasa-  
lum Ecclesiæ decedere sic, ut feudum  
redeat ad Ecclesiam, liceat Episcopo  
talis Ecclesiæ feudum alii dare, sive de  
novo infeudare, non obstante juramen-  
to non infeudandi de novo inconsulto  
Pontificè? ad hanc quæstionem ab Ar-  
chiepiscopo Mediolanensi propositam  
Innocentio III. ut habetur c. *Ex parte*  
2. h. t. respondit Pontifex: *in hoc casu*  
*feudum decedentis libere, si videris expe-*  
*dire, concedas.* Ex hoc textu commu-  
niter deducunt Doctores, Prælatum  
(non obstante juramento de non infeu-  
dando non vasallo) antiquum feudum  
absque perjurii metu posse concedere;  
sic Navarr. de alienat. rer. Eccles. à n. 11.  
& alii. Unde juramentum, de non alie-  
nando sine Papæ licentia, non continet  
*solita alienari*, quæ inconsulto etiam Pa-  
pa alienantur; sic Navarr. cit. & Gutie-  
rez. de juram. confirm. p. 1. c. 32. n. 4.  
quo habetur, quod res *consuetæ infeu-*  
*dari*, potest iterum concedi in feudum  
sine solennitate, ut per Menochium,  
de Arbitr. casu 81. n. 5. cum seqq. Gon-  
zalez. ad 8. reg. Cancell. gloss. 6. n. 194.  
Ut autem verificetur, *rem esse solitam*  
*in feudum concedi*, sufficere unicam con-  
cessionem ante factam cum lapsu 40. an-  
norum tradit Jason l. 2. consil. 155. col.  
2. Rebuff. de reb. Eccles. non alienand.  
n. 33. & alii. Ubi tamen nota, quod  
diximus non procedere de *nova rei con-*  
*cessione*, quæ scilicet prius non fuit in  
feudum data; sed *concessionis continua-*  
*zione*, seu jam alias in feudum data, nec  
ubi prima concessio expiravit, & res ad  
Ecclesiam reversa est, eidem incorpora-  
tæ, prout dictum est à n. 1240.

1676

Ex eod. c. 2. habetur 2. Prælatum Ec-  
clesiæ (si vasallus feudum, quod habuit  
ab Ecclesia, licite alienavit,) in eodem  
posse filium ipsius, vel consanguineum,  
feudi consortem, investire, si viderit  
expedire; 3. si feudum licite alienatum  
sit à Vasallo, ita, ut Prælatum Ecclesiæ (à  
qua tale feudum pendet) non possit fa-

cile illud recuperare, posse talem Præ-  
latum id similiter concedere Laico ea le-  
gè, ut feudum recuperet, & ab Eccle-  
sia in feudum recognoscat; sic Inno-  
centius III. in dict. c. *Ex parte*; quod ta-  
men semper accipiendum, ut supra mo-  
nuimus, si, postquam feudum liberatum  
est, & rediit ad Ecclesiam, non sit ei-  
dem *incorporatum*; quia sic jus utile, re-  
diens ad dominum directum, consoli-  
datur cum dominio directo; & res,  
prius feudo subiecta, desineret esse *feu-*  
*dalis*; nam tali casu, si alteri concede-  
retur, foret *nova concessio*; nec fieri  
posset sine juris solennitatibus, ut dixi-  
mus à n. 1240. quod etiam dicendum,  
si Prælatum videret illam *subinfeudatio-*  
*nem* Ecclesiæ non expedire, ut notatur  
in c. *Ex parte* ibi: *si viderit expedire*; aut  
si obstat pactum, vel conventio inter  
Prælatum, & Capitulum.

1677

Quæstio 3. est, an Vasallis liceat, in-  
consulto Domino directo, feudum,  
sibi concessum, alienare, alienatione  
transfereute rei dominium, & proprie-  
tatem in alium? R. negativam haberi  
ex L. 2. feud. tit. 52. per constitutionem  
Lotharii Imperatoris, ibi: *decernimus,*  
*nemini licere beneficia: qua à suis Seniori-*  
*bus id est dominis directis) habent, si-*  
*ne ipsorum permissione distrabere, vel a-*  
*liquod commercium adversus renorem no-*  
*stra constitutionis excogitare, per quod im-*  
*perii, vel dominorum minuatur utilitas?*  
Deinde adjicitur pœna privationis: *Si*  
*quis vero contra hac nostra legis salu-*  
*berrima præcepta ad hujusmodi illicitum*  
*commercium accesserit, vel aliquid in frau-*  
*dem hujus legis machinari tentaverit, pre-*  
*tio, ac beneficio se cariturum agnoscat.* Et  
Friderici Imperat. tit. 55. c. 1. ibi: *San-*  
*cimus, ut nulli liceat feudum totum, vel*  
*partem aliquam vendere, vel pignora-*  
*re, vel quocunque modo distrabere, seu*  
*alienare, vel pro anima judicare sine per-*  
*missione illius Domini, ad quem feudum spe-*  
*ctare dignoscitur.* His juribus accedit et-  
iam ratio; quia nemo plus juris trans-  
ferre potest in alterum, quam ipse habeat;  
sed Vasallus non habet jus proprietatis in  
feudo sibi concessio, cum id maneat penes  
dominum directum: ergo.

Circa istas constitutiones not. 1. eas  
procedere, si alienatio illa fiat invito  
do-



domino directo, ut constat ex Lotharii L. 2. ibi: *Sine ipsorum permissione*; & Friderici ibi: *Sine permissione illius domini, ad quem feudum spectare dicitur*; Sufficit autem, si consensus Domini ex post facto superveniat, ut tradit Myntinger. cent. 4. observ. 87. Deinde, loqui texum de alienatione, qua, quocunque modo, feudum distrahitur; quamvis fructus feudi ad tempus vitæ suæ possit alteri obligare. Locare autem feudum Ecclesiasticum ad tempus longum, interdictum est in Extravag. *Ambrosia*. de reb. Eccles. alien. non autem *commoditatem*, de quo V. dicta à n. 1257.

1679 Dixi superius n. 1677. alienatione *transfere[n]te feudi proprietatem in alium*; Unde quaestio esse potest 1. An Vasallus inconsulto domino possit feudum dare in *pignus*? 2. An sub *pignoratione omnium bonorum* veniat etiam feudum? 3. An Vasallus possit de feudo *transigere*? 4. An Domini consensus Vasallo datus pro alienatione feudi transeat etiam *ad haeredes* Vasalli?

Ad 1. B. Per se loquendo non posse alteri, quam Domino; constat i. ex Constit. Friderici Imperat. in n. 1677. ibi: *nulli liceat vel pignorare*; Deinde ex L. 2. feud. tit. 8. ibi: *nam nec pignus, quod consultum dicitur, fieri potest ex feudo*, praesertim, cum pignus junctum sit periculo alienationis quoad proprietatem; nam in casu, quo non redimitur, pignoratario jus est illud vendendi, ut sibi ex pretio satisfaciatur; dixi: *alteri, quam domino*, nam domino potest, & ita quidem, ut ille fructus non teneatur computare in sortem per e. 1. h. t.

1680 Ad 2. B. Negative. Nam Vasallus alteri oppignorans omnia sua bona non censetur pignori subicere alia sua bona, quam, quæ licite potest; at licet feudum veniret etiam inter bona Vasalli, ut aliqui probabiliter existimant, arg. L. 4. ff. de V. S. quia tamen feudum inconsulto Domino per se loquendo Vasallo non licet in pignus dare alteri ex n. praecedenti, oppignorando *bona omnia*, non veniet sub tali pignore etiam *feudum*.

Ad 3. Non posse, transactione possessionem in alterum transfere[n]te; nam hac esset distractio feudi in praedictum

domini, quod n. 1677. cit. constitutionibus Vasallo prohibita est.

Ad 4. B. Probabilius negari, si feudum haereditarium non est; talis enim consensus est stricti juris, adeoque non debet extendi ultra personam Vasalli.

Quaestio 5. est, an Vasallus, absque consensu Domini, possit feudum sibi concessum *subinfundare*? 2. An effectus subinfundationis differat, si sit feudi novi, vel si antiqui? 3. An subinfundatio etiam procedat in feudis Ecclesiasticis? 4. An liceat Subinfundatio feudi subinfundari? 5. Quid dicendum de subinfundatione *Ecclesia*? 6. An ei locus sit in feudo jurisdictionis? 7. Quid juris, & oneris consequenter Vasallus ex subinfundatione sibi facta? 8. An percat subinfundatio amisso feudo?

Ante resolutionem nota, quod *subinfundatio* nihil aliud sit: quam actus, quo Vasallus feudum, quod habet, vel totum, vel aliquam ejus partem, alii in feudum legitime concedit; Germani vocant: *Uffter-Lehen*. Nota 2. in c. 19. de decimis, ex Concilio Lateranensi desumpto, sic statutum legi: *Prohibemus, ne laici decimam cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre*. Si quis vero perceperit, & Ecclesiae non reddiderit, *Christiana sepultura privetur*. Ex quo textu communiter deducunt aucthores, quod, si quis ejusmodi decimas habeat per modum feudi, non possit in illis alium infundare; alium, inquam, Laicum, aut privatam personam; bene tamen Ecclesiam, quod conceditur c. 7. de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli; ibi in fine: *Sufficit consensus Episcopi, ut licitum Ecclesiae sit decimas de manibus recipere laicorum; hoc autem de illis decimis intelligimus, quæ Laicis in feudum perpetuo sunt concessæ*: quibus positus:

Ad 1. B. posse servatis tribus conditionibus; 1. Si dederint sincere, absque fraude; 2. Si ejusdem conditionis personæ; 3. Si eadem lege, vel pacto. Prima conditio colligitur ex L. 2. Feud. tit. 3. S. *Sed etiam res*, ibi: *per feudum tamen cuiuslibet dare potest, nisi fiat in fraudem nostræ constitutionis, de non alienando*.



do. Secunda tit. 26. §. *Vasallus*. ibi: *in feudum tamen recte dari potest, dum tamen militi detur*, & §. *similiter* tit. 34. ibi: *in feudum tamen recte dabitur, si secundam personam sit talis, qua feudo servire possit, ut si das miles sit, & ille, qui accipit feudum, inveniat miles*. Tertia eod. §. *Vasallus*, paulo post, ibi: *Profecto ille, qui suum beneficium alii dat in feudum, non debet alia lege dare, nisi, qua ipse habeat*: Ut, si habeat sibi, suisque hæredibus (quod intelligi debet de folis masculis) non debet aliis dare, ut habeat ipse, & sui hæredes masculi, & foeminae. Hæc tamen intellige, quando Vasallus non accepit feudum ea lege, ut ei proprio corpore insitit. Coeterum, est constitutio Friderici Cæsaris Vasallo prohibita sit *omnis* alienatio feudi inconsulto Domino; non tamen intelligitur de subinfundatione; quia non est proprie alienatio, seu translatio juris feudalis in subfeudatarium, cum extinctione oneris in subinfundante; cum adhuc maneat Vasallus, & obstrictus ad onera feudi, quantumvis alteri subinfundati.

1684 Ad 2. R. Essè hoc discrimen, quod, si feudum sit *antiquum*, mortuo Vasallo subinfundante, per eos, qui jure vocantur in Successionem, possit feudum avocari à Subinfundatario; Cum resolutio jure dantis, resolvatur jus accipientis, per L. 31. ff. de Pignorib. si autem feudum sit *novum*, & hæredes Vasalli subinfundantis non velint, aut jure non valeant succedere in feudum, posse retineri ab eo, apud quem subinfundatum est, si Domino directo præstare velit onerata feudo imposta; nam iste subinfundationis effectus est, ut dicemus n. 1687.

1685 Ad 3. R. Quod sic; cum jure Ecclesiastico nihil in contrarium dispositum sit extra casum, quem n. 1682. retulimus ex c. 19. de Decimis.

Ad 4. R. Quod sic, seclusa consuetudine, conventionem, vel statuto restringente solum ad certum numerum generationum, vel personarum, prout constat ex §. *similiter* relato superius n. 1683. ibi: *& ut hoc dare liceat usque in infinitum*.

Ad 5. R. Ecclesiam, alicui concessam

in feudum, non posse subinfundari, ex L. 2. feud. tit. 13. §. *Si Clientulus*. ibi: *Inde prasumi potest, si Clientulus fecerit libellum in perpetuum de feudo suo alicui Ecclesia, non valet*: Ideo scilicet, quia nunquam reversurum sit ad Dominum, cum Ecclesia non desinat esse hæres; quod observandum est, & in privato ex natura perpetui libelli.

Ad 6. communiter affirmatur, si Vasallus habeat feudum, intra, vel extra curtem Domini, modo sit in territorio, quod subjacet jurisdictioni domini directi, quia jura non distinguunt; per *curtem* autem Domini intelligitur ejus Curia, ut notat Percyra in Elucid. n. 1885. ex L. *Capitalium*. ff. de pœnis.

Ad 7. Resp. Subinfundatarium ex subinfundatione consequi jus utile cum omnis commodi perceptione, subalternatum tamen, seu aliquo modo, nimirum mediâ subjectum domino directo, ut si subinfundans in debitis obsequiis deficeret, ab isto exigi possent, ne Domino directo Subinfundatio nullum omnino commodum ferat, quamvis Subinfundatus (loquendo immediate,) Vasallus sit subinfundantis.

Ad 8. Resp. Questionem procedere de casu, quo feudum perit in Vasallo *immediato*, ut revertatur in manus Domini directi, vel per *feloniam*, vel refutationem, quin per hoc ulli descendenti, vel agnato aperiatur? quoposito communior sententia negat ex l. 2. feud. tit. 9. §. si vero, ibi: *Si tamen sine hærede masculo descendente decebat, et feudum in manu Domini resurabat, aut alia forte ratione intercedente culpa amittebat, tunc omnis feudi alienatio ad irritum revocabatur, eo excepto, quod ille qui secundo loco feudum acceperat, non amittebat, si priori Domino servire, & ab eo feudum recognoscere volebat*.

Not. autem per *refutationem feudi* intelligi ejusdem renunciacionem, seu cessionem factam à Vasallo, quæ erit refutatio *propria*, seu realis, si fiat in manus Domini: *impropria* vero, si fiat agnatis: per *feloniam* autem intelligitur culpa injuriæ, propter quam Vasallus amittit feudum v. g. si tribus vicibus, legitime citatus, fidelitatem præstare noluit: vel, si in feudavit alia lege, quam ipse ha-



habeat; vel talem Vasallum, qui feudo inservire non potest. V. Hostiens. in summ. de feudis.

1688 Not. 2. Quando dicitur, ad Subinfeudationem requiri, quod fiat *sincere*, & *absque fraude*, requisitam sinceritatem laedi, si fieret in re venditio, licet diceretur subinfeudari; vel à Vasallo vidente se paulo post decessurum sine liberis, & sic dominus directus cogere- tur ex subinfeudatione sustinere novum Vasallum juxta n. 1687.

Not. 3. Per verba: *ejusdem qualitatis*, & *conditionis*, non denotari *nobilitatem*, quasi Comes esse debeat subfeudatus, si subinfeudans Comes sit; sed intelligi qualitatem, qua aequè onera feudi sustinere, & Dominus eadem, ac prius facilitate illa recipere possit.

Not. 4. Non valere subinfeudationem, quando Vasallus in investitura specialiter prohibitus fuit, *ne feudum alienet*; nam in tali, per jus commune illi aliunde interdicta est omnis alienatio proprie dicta; ergo, ut frustra non sint verba pacti adjecti in investitura, & consequenter aliquid operentur, intelligi debent etiam de subinfeudatione, licet strictè non sit alienatio.

## §. 2.

*An Ecclesia amittat feudum ex delicto, quod alias inducit privationem feudi?*

1689 Ante resol. not. plures esse casus, quibus ex delicto feudum amittitur; primus est, si vendatur feudum absque consensu Domini, constat ex dict. à n. 1677. ibi: *pretio, ac beneficio se cariturum agnoscat*. 2. Per feloniam, ex n. 1687. tertio neglectu investiturae, per l. 2. feud. tit. 24. §. *prima*; quod tamen intellige, si hoc fiat Vasalli dolo, vel culpa per tit. 52. §. *fin.* petenda autem est, si feudum sit antiquum *intra annum, & diem*, si Vasallus sit paganus; *intra annum, & mensem*, si miles per cit. §. *Prima*, & L. 1. tit. 22. per investituram autem intelligitur sollemnis actus, quo Vasallus Domino ad fidem obligatur, & in Tom. 111.

rei feudalis possessionem mittitur, de quo v. dicenda à n. 1724. In feudo autem *novo* non committitur feudum à non perente investituram, nisi negligendo, cum Dominus urget.

Quarto feudum amittitur recusando fidelitatis iuramentum per L. 2. tit. 24. §. *est*; quinto, si domino debita servitia non praestiterit, tit. 24. §. *item*; quod maxime consideratur, ut colligitur ex L. 1. tit. 5. sexto, si feudo abutatur per L. 2. tit. 27. §. *publici latrones*; septimo, si domino abneget feudum, vel ejus conditionem, aut pacta adjecta, per l. 2. tit. 26. §. *si Vasallus*; octavo, si egerit contra formam fidelitatis; nono si factus sit infamis infamia juris, per tit. 37. l. 2. plures ejus causas, ex quibus propter delictum Vasallus privatur feudo, videri possunt deductæ ex libris feudorum apud Haunold. tom. 3. tr. 9. à n. 851. Illud hic annotandum, quod idem author tradit n. 863. Vasallum feudo privari posse Judicis sententia non tantum ex causis in feudali jure expressis, sed etiam ex causis similibus, aut majoribus.

Ratio sumitur ex §. *item qui*. tit. 24. 1691 ibi: *Sed quia natura novas deproperat edere formas, potest multis modis contingere, ut alia emergant causa, quibus videatur justè adimi posse feudum; ideoque iudex solers, & discretus, & aequitati obsecundare sollicitus, cuncta similiter dispensans, provideat, si qua fuerit antiquioribus causis similis, seu major, ut proinde sciat, utrum beneficium sit amittendum, an nihilominus retinendum?* Sed nota hoc constitutum jure speciali in materia feudorum, non ad casus alios extendi debere, nisi etiam in iis expressè cautum sit, quòd à similibus ad similia procedi possit; quibus positus:

Ad quaestionem initio propositam 1692 distinguendum, an Ecclesia perdat feudum *ratione delicti ab ejus Pralato admissi?* an verò Clericus jure suo, non Ecclesiae, habens feudum? Quare Resp. 1. Clericum, vel Prælatum in feudis patrimonialibus, paternis, aut privatis, ad se pertinentibus, aestimari tanquam Laicum, ut tradit Layman. D. de alien. rer. Eccles. thesi. 95. consequenter eo privari, si committat delictum, ex quo eodem

Ecc

priva-



privaretur Laicus, & ratio est; quia in materia talis feudi etiam Clericus conveniri potest coram Domino directo feudi per c. *Ceterum* 5. de Judiciis, ubi dicitur, quod, si Ecclesia aliqua (v.g. Monasterium) quibusdam prædia conceisit in feudum, & inter vassallos controversia oriatur circa feudum, tum ordinarius Judex v. g. Episcopus se immiscere non potest; Sed questio illa feudalis coram Domino feudi, qui in casu nostro est Abbas, agitari debeat, dummodo actor ibi justitiam consequi possit; alioquin Ordinarius loci adiri poterit; quo habetur, quod Dominus feudi ordinariam habeat jurisdictionem, si inter vassallos orta sit controversia, feudum ab ipso acceptum concernens; ut habetur lib. 2. feud. §. *Præterea*, de prohibita feudi alienatione per Fridericum Imper. ad hoc autem duo requisita sunt.

1. ut controversia sit super feudo, seu jure feudali; ita, ut ex legibus feudorum lis decidenda sit; 2. ut uterque litigantium agnoscat se Vassallum, ut bene hic Decius n. 11. Si autem non Vassallus cum Vassallo contendat, tum ad ordinarium Judicem (si iste diversus sit à Domino feudi) recurri debet, ut colligitur ex lib. 2. feud. tit. 27. de pace tenenda. §. *Si duo*. V. dicta l. 2. tit. 1.

1693 R. 2. Si Prælati Ecclesiæ, habens ratione suæ dignitatis Ecclesiasticæ feudum Ecclesiasticum, pertinens ad solam ejus mensam, delinquat, delicto, cui annexa sit privatio feudi, non propterea privari Ecclesiam, sed solum Prælatum, sic, ut, dum est in ejus administratione, careat omni ejus utilitate; quo tempore feudum redit ad dominum directum, quoad fructuum perceptionem, non tamen nisi dum alius in eadem dignitate succedat. Ratio primi sumitur ex reg. 76. in 6. ibi: *Quia delictum persona non debet in Ecclesia detrimentum redundare*; ratio secundi, quia *pæna sequitur, & tenet auctorem delicti, non alium*, ut habetur l. 2. feud. tit. 40. de Capitulis. §. *Item si Clericus*, propter rationem in præmissis.

1694 Dixi: Si pertineat ad solam Prælati mensam; nam si pertineret ad solum Capitulum, hoc propter delictum Prælati non puniatur ex data regula 76. si ipsum

delicti non sit particeps, ut colligitur ex c. *Damnatus*. 2. de summa Trinit. ubi ex errore Joachimi Abbatis, Monasterii Florentis, per Concilium damnato, nihil redundavit in ejus Monasterium: Si denique pertineret communiter ad mensam Prælati, & Capituli; propter solius Prælati delictum Capitulo stare jus fructuum ex feudo secundum portionem alias respondentem.

§. 3.

*An Dominus directus, à Vassallo recipiens feudum in pignus debiti; teneatur fructus computare in sortem?*

Casus esse potest, si Vassallus ab Ecclesia accepit in feudum certas ejusdem possessiones; deinde contracto debito propter mutuum ab eadem acceptum; eidem in pignus debiti ex mutuo; cedit easdem possessiones: videtur enim in hoc casu Ecclesiam, seu dominum directum teneri, fructus, quos percipit ex pignore, compensare in sortem; ne committat usuram, si mutui accipiendo aliquid ultra sortem, si hæc integra solvenda illi foret à mutuatario? Questionem hanc Innocentio III. proposuit Mariensis Episcopus.

Ad hanc questionem respondit Pontifex, quod *gageria*, quam de feudo Ecclesiæ suæ Episcopus iste à quodam M. recepit, liberè possit ab illo detineri, *fructibus non computatis in sortem*, ita tamen, ut, quam diu Episcopus, fructus illos recipit, *in sorte minime computandos*, idem M. à servitio, ad quod pro feudo tenetur, sit immunis; ubi nota *gageriam* linguâ veteri Germanorum idem significare, quod *pignus*, ut notat Glossa ibid. v. eodem.

Difficultas est 1. quomodo id procedat, cum generaliter dicatur, *dominum non teneri fructus feudi computare in sortem*, si fructus excedant servitia, quæ feudo apud Dominum loco pignoris existente remittuntur? 2. an hoc etiam procedat de fructibus ex melioratione feudi



feudi per Vasallum facta? 3. an hoc procedat non tantum, si Dominus directus sit Ecclesia; sed etiam, si secularis? 4. an si feudum sit emptitium saltem ex parte? 5. an idem procedat, si Domino directo in pignus detur res emphyteutica?

1698 Ad 1. respondent aliqui, propterea Dominum posse tali casu percipere fructus feudi omnes (seclusis iis, quæ nascuntur ex meliorationibus Vasalli) quia hoc, *Speciali jure*, statutum est in favorem Ecclesiæ, quando vicissim Vasallo remittuntur servitia; verum textus probabilius procedit in feudo non tantum Ecclesiastico, sed etiam civili, seu seculari, ut constabit ex seqq. Nec in hoc attenditur *ratio Ecclesiæ*; si enim fructus pignoris illicitè non computantur in sortem, nec Ecclesiæ licebit; cum usura sit prohibita jure naturali, & divino. Si autem sit licitè, etiam in feudo seculari procedet.

1699 Alii censent, ubi feudum à Vasallo datur domino directo in pignus, illud consolidari cum dominio directo, consequenter à Domino fructus ejus percipi ex re sua, ubi nulla intervenit usura; pro hac opinione referuntur Abbas in dict. c. 1. h. t. n. 5. Imola n. 7. Fagnanus n. 2. Verum hanc consolidationem negat Covarr. l. 3. resol. c. 1. n. 4. Cum in jure nullibi dispositum reperitur, feudo dato in pignus Domino directo, jus utile consolidari cum proprietate, seu redire ad dominum directum, aut eo casu jus percipiendi fructus feudi desinere in Vasallo.

1700 Vera ratio petitur ex natura, seu conditione feudi, quod alicui conceditur propter servitia, mutua conventionione Domini directi, cedentis Vasallo jus utile, & Vasalli obligantis vicissim se ad servitia constituta illo pacto; unde sive excedant, sive minora sint fructibus feudi, hoc non attenditur supposito contractu feudali; & Dominus eos sibi capiet, quam diu Vasallus servitia præstare cessat ex hoc defectu, coactus Domino directo feudum oppignorare. Nam Vasallus jus percipiendi fructus ex feudo solum habet, quam diu non ces-

Tom. III.

sat à servitiis; Ita Zoësius h. t. n. 6. Barbof. in dict. c. 1. n. 2. & alii; id quod procedit, sive fructus excedant, sive minores sint servitiis debitis; si semel deductum est in pactum, jus utile Vasallo comperere quoad perceptionem fructuum solum præstitis servitiis conventis.

Ad 2. Respondet, quod non, de illis fructibus, qui proveniunt ex melioratione feudi solum extrinseca per Vasallum facta; nam pro his constituta non sunt servitia; quia quamvis illa fructuum pars, quæ juxta viri boni arbitrium proportionabiliter servitiis respondet durante pignore, illis cessantibus ad dominum pertineat, illa tamen, quæ meliorationibus, aut expensis correspondet, in sortem principalem necessario computari debet; alias usura committitur.

Ad 3. Resp. quod sic; juxta dicta n. 1700. excipitur tamen ab universali regula. 1. feudum *francum*, de quo n. 1668. nam in hoc Vasallus omnino liber est ab onere obsequiorum, ex natura, seu conditione talis feudi; ita Sylvester V. *Feudum* n. 3. ad 4. Respondet, quæ parte feudum est emptitium, seu non gratis datum; sed pretio concessum, non esse feudum, proprio, ac ordinario, sed extraordinario modo concessum, de quo non agitur in dict. c. 1. consequenter fructus ex feudo, qua parte respondent emptioni, non posse sine usura non computari in sortem à Domino directo, si etiam eam partem feudi à Vasallo accepit in pignus; quia remissio servitiorum non relevat eam partem feudi à Vasallo, comparatam pretio, sicut alteram, adeptam pro servitiis. Quod autem dictum est in c. 1. de feudo, censent communiter etiam dispositum de emphyteusi, Fagnan. in cit. c. 1. h. t. & seq. ac alii. cum ambo in paucis differant, & argumento à feudo ad emphyteusim in hac materia legitimum tradat Everardus arg. legati à feudo, ad *emphyteusim*.

Ecc 2 S. 4. An



S. 4.

*An Clerici, tam seculares, quam  
Regulares, succedere possint  
in feudo?*

1703 **S**I velimus inherere apicibus juris, dicendum est, Clericos in sacris constitutos arceri à feudis per text. lib. 2. feud. tit. 30. ibi: *Ex hoc illud descendit, quod dicitur: Clericum nullo modo in beneficium paternum debere succedere, etiamsi, postquam habitum Religionis assumpserit, postposuerit; idem in omnibus, qui habitum Religionis assumant, ut conversi: hi enim nec postea in feudo succedant: & si quod habent, perdant.* Deinde tam de Clericis istis, quam Religiosis professis extat textus eod. lib. 2. tit. 26. §. si quis ibi: *Qui Clericus efficitur, aut votum Religionis assumit, hoc ipso feudum amittat.*

1704 Stando igitur in hoc rigore juris feudalis nihilominus dicendum, 1. His textibus non comprehendi nisi Clericos in sacris; nam hi solum perpetuo inhabiles sunt ad obsequia feudorum secularium; non autem, constituti solum in prima tonsura, & minoribus; cum isti possint ex libitu redire ad statum secularem; 2. non procedere in feudo *franco*; quia in hoc servitia sunt remissa; 3. nec in Religiosis non professis, nec constitutis in sacris, cum & hi possint ex Religione dimitti, & ad seculum redire; consequenter impediti non sint *perpetuo*, ut tradit Haunoldus tom. 3. tr. 9. n. 792. quod à fortiori procedit *de Novitiis*.

1705 **Q**uestio est, an Clericus in sacris, vel Religiosus, ex dispensatione Papæ transiens ad statum secularem, esset capax feudorum, non obstante illo rigore juris feudalis? In hac questione distinguit Rosenthal conclus. 30. n. 3. lit. D. apud Haunold. §. *Illud*; inter feuda post dispensationem oblata; & ante aperta, seu devoluta; & affirmat quoad oblata; non, quoad ante aperta, vel devoluta; cuius ratio est, quia supposita tali dispensatione, & facto transitu ad statum secularem, sublata est inhabilitas ad obsequia ex feudo debita, pro-

pter quam leges feudales, allata superius, eos excludunt à successione, vel acquisitione feudi; ante illam autem, adhuc stant. Et ideo etiam filius professus in Religione bonorum tam in communi, quam persona particulari, & omnis successione incapax, esto excluderetur à successione paterna tam ex testamento, quam intestato, dum est in eo statu, posset tamen utroque modo succedere, si pater obiret, postquam translatus est legitime ad Religionem eorum bonorum, ac successione capax; sed hæc *de rigore* juris feudalis.

Spectata vero consuetudine in pluribus regnis, & provinciis aliter discurrendum est, cum hæc res tota sit meri juris positivi humani, adversus quod consuetudo legitime inducta jure prævalet; unde plures sunt casus excepti, ubi cum primis oppositum communibus feudorum legibus laicis secularibus observatur *quoad Clericos non Regulares*. Primo enim, ubi feudum annexum est dignitati Ecclesiæ, id transit in Successionem, ut constat ex usu Germaniæ, ubi Episcopi, qui succedunt in dignitate, cui feudum annexum est, succedunt pariter in feudum Imperiale; id quod etiam jure canonico receptum est c. 7. de foro compet. ubi etiam Clerici Domino directo feudi, esto secularis sit; & laici, Ecclesiastico (si feudi Dominus directus sit) in causis ad tale feudum pertinentibus, subjiuntur. Deinde idem dicendum est 2. si feudum sit francum ex n. 1704. 3. Si servitium præstandum non dedecet statum Clericalem; 4. Si tantum sit reale servitium; 5. Si foret alienum à statu Clerici, sed à Domino directo permittatur præstare servitium per alium. 6. Si feudum sit hereditarium ad quoscunque hæredes; &c. hæc de jure seculari.

Nam spectato jure canonico secus est, 1707 ut colligitur 1. ex c. *Transmissa*. 6. de foro competente, ubi dicitur, quod si questio feudalis est inter Clericum, & Laicum, cognoscet Dominus feudi; sed eo negligente, cognoscet delegatus Papæ, etiam ante negligentiam datus; & c. *Verum*. 7. cod. ubi dicitur: per dominum feudi secularem, sive Ecclesiasti-



fiaticum, quaestionem feudalem terminari debere, etiam si Vasalli sunt Clerici; & si plures pretenduntur Domini, non posse unum cognoscere, maxime alio praesente, an feudum ad eum pertineat? Demum etiam c. unico de statu Regularium in 6. §. verum. ibi: Verum quando Abbatisa, vel Priorissa cujusvis monasterii pro feudo, quod monasterium ipsum tenet ab aliquo principe, seu domino temporali, sibi debet homagium, vel fidelitatis sacramentum praestare, (nisi, quod per Procuratorem illud praestet, possit efficere apud eum) de monasterio cum honesta, & decenti Societate exire poterit eo casu licenter, homagio facto, quamprimum commode poterit, seu fidelitatis praestito sacramento, ad ipsum monasterium est vestigio reversura; sic, quod in fraudem residentiae, sive morae claustralis, nihil fiat omnino.

1708 Ex his enim iuribus clare deducitur, spectato jure Ecclesiastico, Clericos, Religiosos, eorumque Monasteria, esse capacia, ut feuda habeant non tantum Ecclesiastica, sed etiam secularia, seu à Principibus Secularibus concessa, ita quidem, ut hoc etiam extendatur ad Monasteria Sanctimonialium; quo casu Abbatisa, vel Priorissa, quae propter feudum tenetur praestare juramentum fidelitatis alicui domino seculari, si per Procuratorem illud praestare nequit, potest cum honesta societate exire, modo statim praestito juramento, revertatur; ita Sanchez in praecipua Decalogi tom. 2. lib. 6. c. 15. n. 51. Bonac. de claustr. q. 1. punct. 9. n. 9. ad verrens in hoc casu superioris licentiam petendam esse; quod, si nulla causa ductus, illam denegat, hoc constituto posse auctoritate juris Abbatisam ingredi. Ex quo habetur, quod possit Vasallus ex consensu Domini juramentum fidelitatis ipsi domino feudi praestare per Procuratorem, habentem ad id speciale mandatum, Sanchez in praecipua Decalogi tom. 1. l. 3. c. 13. n. 21. ubi n. 17. Subdit, quod juramentum, quantumcunque personale sit, ex parte jurantis, possit praestari per procuratorem.

1709 Nec obstat ea, quae allegantur in contrarium ex libris feudorum, de quibus

n. 1703. nam illae leges non loquuntur de feudis, quae Clericus acquirat primum, postquam Clericus factus est; sed illis, quae, cum adhuc laicus esset, habebat spe successionis, & ubi contingit casus, quo ad successionem vocaretur, non amplius est Laicus, sed Clericus, de quo V. dicta n. 1705. Deinde negandum est, respectu Clericorum, vel Religiosorum, dictis feudorum legibus Laicis, locum esse, quia consuetudines, seu leges feudales, quae disponunt ut personae Ecclesiasticae, non modo feudum non acquirant, nec in eo succedant, sed etiam ut perdant, quod prius habebant, cum specificè disponant de rebus ad Ecclesias; vel Ecclesiasticas personas pertinentibus ratione utilis domini, non valent ob defectum potestatis, ut constat ex c. quae in Ecclesiis 8. de const. nulla enim jurisdictio se potest extendere ultra limites. L. ult. ff. de jurisdictione: & docet Fagn. in cit. c. quae in Ecclesiis n. 52.

1710 Quaestio est, an si Vasallus profiteatur in Religione bonorum temporalium capaci, saltem in communi, feudum, quod habet, per consequentiam personae transeat ad ejusmodi Religionem? & quod sic, modo feudum tale sit, ut servitia, ratione illius debita, etiam à monasterio praestari possint, prout est in casibus allatis n. 1706. Dixi: bonorum temporalium capaci; secus enim facta professione transibit ad eos, qui jure vocantur, perinde, quam si vasallus naturaliter mortuus esset; ratio autem datae resolutionis est, quia monasterium bonorum temporalium in communi habendorum capax, succedit ipso facto, jure personae in istum translatae, accessorie, & per consequentiam personae sine ulla exceptione alicujus juris, succedit in omnia bona sui professi, quae ante ingressum habet, & de quibus ante non dispositum fuit; sed inter illius bona ponitur feudum cum oneribus praestabilibus à monasterio (ut ponitur in casu) ergo si de illo ante ingressum non disposuit, per consequentiam personae, & accessorie transit in Monasterium: ergo religiosa professione non extinguitur; major probatur, nam monasterium habens jus bonorum in communi



communi, & successione, succedere in omnia Religiosi bona, de quibus ante professionem non disposuit, sive ab ipso ante professionem, sive post acquisita sint, sive titulo donationis, hereditatis, aut quocunque alio adquisierit; constat aperte §. *ingressi*. & §. *si qua mulier*. C. de sacrosanct. Ecles. desumpt. ex §. *Illud quoque*. authent. de Monachis, & §. *si qua*, authent. de sanctiss. Episcop. item c. *si qua mulier* &c.

1711 Not. autem 1. has legum constitutiones non habere vim, quatenus solo jure civili inductæ sunt, ut recte notat Azor tom. 1. instit. moral. lib. 2. c. 8. q. 1. (quia expresse constituunt de Monachis) sed quatenus approbatæ sunt à potestate Ecclesiastica: eas autem approbavit D. Gregor. Papa 1. 7. registri in indict. 2. epist. 7. quæ approbatio refertur in cit. c. *quia ingredientibus* ibi: *Sed res eorum ejusdem monasterii juris fiant, aperta legis definitione decretum est*; id, quod communi omnium Pontificum consensu receptum est. Hanc porro successionem in omnia jura sui professi, extendit Sanch. cit. l. 5. Decalogi c. 4. n. 6. ex privilegio Pii V. etiam ad casum, quando ante finem Novitiatu fit professio in articulo mortis.

1712 Ex hoc nota 2. quod professus in religione bonorum capaci per professionem non amittat jura *suijatis*, & *agnationis*; sed succedat tanquam *heres*, eademque per consequentiam personæ in monasterium professione sua translate secum ferat ad monasterium; ita Wadingus de contract. D. 5. d. 7. §. 2. n. 5. Sanch. cit. lib. 7. c. 12. n. 5. ex L. *fin*. C. de Episc. & Clericis, ubi annotat, ejusmodi professum perinde succedere, ac si Religionem ingressus non esset. Ex quo deducit, quod monasterium *sui professione nomine* retineat omnes qualitates, & prerogativas filiorum; cum ex n. dict. ad monasterium secum ferat omnia sua jura, quæ ante ingressum habuit.

1713 Sed hoc limitatur 1. ut non procedat de monasterio, nec bonorum in communi capace; nam in tali Religione, professio æquivaleret morti naturali, quæ extinguit omne jus, vel communiter, vel particulariter habendi bona temporalia. 2. Ut solum procedat, quam diu

professus naturaliter vivit; cum monasterium prædicta sui professi jura habeat, non suo, sed personæ in ipsum translata nomine. 3. Ut solum procedat in casu, quo Religiosi talis Religionis non habent in particulari bona; si enim illa habeant, in hæc non succedit monasterium, sed ipse Religiosus.

Not. 3. statutum excludens à parentum successione filium, religionem ingressum, esse iniquum, & irritum; sic citatis in favorem hujus sententiæ plurimis legistis, & canonistis, expresse docet Sanchez cit. n. 18. Nam tale statutum Laicorum nequit unquam ejusmodi filium ligare; vel enim ligaret eum ante Professionem? vel emissâ jam professione? De primo videtur certum, quod non; nam quovis instanti professionem antecedente manet successione capax, utpote sui juris æque, ac non religiosus; in ipsa autem actuali professione, & post illam, nullo modo subest jurisdictioni Laicorum. Nam leges civiles, licet saveant Clericis, etiam expressam ipsorum mentionem facientes, nisi recipiantur ab Ecclesia, ipsos non ligant; cum ferantur in non subditum.

Si dicas cum sententia contraria: est tale statutum sit irritum, si sic disponat: *ingressi religionem non succedat*, si tamen sic disponat: *ingrediens religionem non succedat*, valet; quia priori casu statutum afficit jam effectos Religiosos, in quos statutum laicorum jurisdictione caret, sicut & potestate ligandi Religiosos, & quascunque personas Ecclesiasticas: at in posteriori casu afficit eos ante ingressum, quo tempore seculares sunt. ita Barrol. L. *fin*. lectura 1. n. 6. C. de pactis. R. licet ejusmodi statutum fiat in Religiosos, *ante ingressum Religionis*; & consequenter tempore habili, quia tamen ejus effectus confertur in tempus inhabile, nimirum *in tempus post ingressum* (nam ante hunc non liget absolute, sed solum conditionate sub conditione, quæ ponitur, dum non subest amplius jurisdictioni) omnino irritum erit. *Idem enim est, aliquid fieri tempore inhabili, & ejus effectum conferri in tempus inhabile*, per L. *quod sponsa*. C. de donat. ante nuptias.

Not. 4. Monasterium accessorie suc- 1716  
ce-



cedens in bona sui professi, nimirum ratione personæ, religiosa professione in ipsum translata, non succedere, ut *heredem proprie*, nec *jure hereditario*, sed jure cujusdam acquisitionis naturalis, & accessoria personæ. Constat ex Authent. *Ingressu*. C. de sacrosanct. Eccl. ibi: *ipso ingressu se, suaque dedicat Deo*: ubi nota, *lis ipso ingressu*, idem esse ac *ipso facto*, ut constat ex authent. de Monachis. §. *Illud quoque* ibi: *ingredientem simul sequantur res*; nam *heredes* non acquirunt ipso facto hereditatem relictam, vel possessionem, L. *cum heredes*. ff. de acquirenda possess. secus autem est in casu, quo monasterium succedit in bona professi, quæ habuit ante ingressum, ut dictum est; ita Sanchez l. 7. Decalogi c. 12. Wadingus de contract. d. 5. d. 7. §. 2. n. 3. & apud illum legitur cum Bartolo in auth. *si qua mulier*. C. de sacrosanct. Eccl. Baldus L. *filium*. ff. qui sui sunt: volentes ejus bona per consequentiam Personæ transire in monasterium, sicut in arrogantem bona, & jura arrogati. Infit. de acquirit. per arrogat.

1717 Dixi, quando monasterium succedit *accessorie*, nimirum ratione personæ in ipsum translata; secus enim quoad acquisitionem possessionis ipso facto fallit 1. si transferens se, suamque personam, sibi providit, expresse, & principaliter etiam transferendo bona, ita Sanchez cit. n. 25. nam tali casu absque traditione non acquirit monasterium dominium, & possessionem. Fallit 2. si monasterium tempore professionis contradicit acquisitioni bonorum. 3. Fallit in aliis bonis, quæ accedunt primo post professionem; nam in his ipso facto acquiritur solum dominium; sed possessio capienda est, ut docet Abbas c. *In presentia*. de probat. n. 74.

1718 Ex hoc etiam sequitur, idem dicendum esse, si quis habeat usumfructum, eum pariter cum usufructuario transire in Monasterium per consequentiam personæ; si in eo usufructuarius legitime professus sit, & monasterium sit capax habere bona temporalia in communi; hanc sententiam tuetur Cynus, Baldus, Salycetus, Bartolus, Sylvester, Molina, Azor, & plurimi alii, quos citat, & sequitur Thomas Sanchez l. 7. Deca-

logi c. 13. n. 48. ratio est eadem, quæ in n. 1710. de emphyreusi autem dicemus à n. 1741. si dicas usumfructus est *jus personalissimum*, ac ita personæ cohærens; ut nec cessione, nec alio modo possit in alium transire; ergo extinguitur professione religiosa etiam in Religione successione capaci; patet consequenter quia tali casu nec potest remanere in professore, cum sit redditus incapax cujuscunque proprii habendi; nec potest transire in monasterium, quia sic transiret in alium, quod juri *personali* repugnat: ergo. Nam *z. trans. ant. N. confeg. & dico*, quod tali casu transeat in monasterium per consequentiam personæ. Quare not. monasterium posse dupliciter comparari ad illum usumfructum recipiendum. 1. ratione sui, & non ratione personæ in ipsum translata. 2. non ratione sui, sed ratione personæ in ipsum translata; si consideretur hoc secundo modo, manifestum est, quod monasterium ratione sui professi per consequentiam hujus personæ habens usumfructum, non sit alia persona ab usufructuario; cum usufructuarius sit formalissime illa persona, ratione cuius monasterium habet usumfructum, quamdiu ille naturaliter vivit. Quare in dato casu non est simpliciter verum: *monasterium habet usumfructum*; sed cum addito *per consequentiam personæ*, quo notatur jus personæ in ipsum translata esse in monasterio per ipsam personam translata, non sine ipsa, sicut jus partis est in toto ipsam includente, sed non sine illa.

Dixi: *trans. ant.* Nam quando dicitur, quod usumfructus sit *jus personale*, & non egrediatur personam, nec transeat in alium, verum est, si sermo sit de transitu *per cessionem, vel transmissionem in alterum*, auferentem ipsum à cedente, vel priori Domino; non autem si cum ipsa persona transeat in alium, illud habentem solum per consequentiam personæ, & acquisitione naturali; nam hoc ipso, quod leges cit. n. 104. concedant Monasterio sine ulla exceptione omnia jura, & bona professi, quando se Deo dedicat, eo ipso declarant usumfructum, *non sic esse personalem*, ut cum ipsa persona, & ratione illius, quam



quam diu hæc naturaliter vivit, esse nequeat in Religione, cui se dedicat, & in qua est ipsa persona usufructuaria, quia sic non abit à persona; sed stricto jure illud *habendi communiter* ab eadem retinetur etiam post professionem. Quia professio in religione bonorum capaci, non æquivaleret morti naturali (ut malè supponit Julius Clarus L. 4. §. *Feudum*, q. 78.) nec professum reddit incapacem omnis domini, alias faceret eum incapacem juris habendi communiter bona temporalia, quod est certè falsum; nam talis professus etiam post professionem retinet jus sunitatis, & succedit Patri jure Sunitatis, ut constat ex n. dict. & omnia bona possidet jure illa habendi communiter; unde non est *alia persona* tunc, quæ habet usumfructum; sed solum alius modus illum habendi; in jussu non *jure singulari*, sed *jure Collegii*, vel alius, cujus est pars.

1720 Neque dicas: Usufructuarius, post professionem, nihil amplius disponere potest de illis bonis, sed disponit Prælatus, vel solus, vel cum Capitulo; nam hoc non arguit, illi per professionem ablatum esse jus disponendi, & habendi *communiter* usumfructum, vel illud esse penes monasterium aliter, quam ex pura consequentia personæ; hoc evidens est ex eo, quod professio naturaliter mortuo, nec Prælatus, nec Capitulum, nec ambo simul quidquam disponere valeant de tali usufructu. Deinde, immeritò dicitur, quòd usufructuarius, post professionem, non habeat jus disponendi *communiter*, quamvis hujus usum (ratione ipsius) administratoriè exercent Prælatus cum Capitulo; imò esto usus prædicti juris illi professus, præcisè, vel prohibeatur, vel etiam annuletur, adhuc tamen in eo stat jus ad talem usum disponendi communiter, ut ostensum est superius. Ex quo tandem concluditur, monasterium in quod per consequentiam personæ in ipsum translata, simul transeunt hujus bona, quoad hunc juris effectum, non esse personam *aliam à professo*; Sed eandem, cum ejus jura habeat solum per consequentiam personæ.

1721 Dices 2. si usufructus, religiosa professione usufructuarii, non extingueretur,

sed transiret ad monasterium, duraret 100. annis, sicuti ususfructus concessus Ecclesiæ. Resp. N. sequelam; nam ususfructus Ecclesiæ, vel Monasterio *directè*, & *ratione sui* concessus, durat 100. annis; non autem, concessus solum *indirectè*, & *per consequentiam personæ* in ipsum translata; hinc enim est, quòd in posteriori casu talis ususfructus pendeat à vita naturali talis personæ, & extingatur, illa naturaliter extincta; ita Bartolus in auth. *Ingressi* in 2. lectur. n. penul. & plures alii, quos citat, & sequitur Sanchez cit. c. 13. n. 50.

Instabis: dato, quòd, quando usufructuarius, in Monasterio bonorum capaci proficetur, usufructus obveniat monasterio; hic tamen usufructus non erit *translatus*, sed *novus*, qualiter fit, quando usufructus constitutus Titio, & suis hæredibus, illo mortuo transit ad hæredes, ut dicitur L. *Stipulatio ista*, §. *Sed & si quis*. de verb. oblig. & L. *qui usufructum*, §. 1. ff. de usufructu, vel certè cum ab uno transit in alium de consensu Domini, ut habetur L. *usufructu*. ff. soluto matrimonio. Verum, quod assumitur, meritò negatur cum allata paritate: Nam in his casibus allatis propterea usufructus est *novus*, quia transit ad hæredes *facto hominis* (puta stipulatione, vel consensu Domini) non autem *per consequentiam personæ*, cui cohæret, qualiter fit in casu nostro.

Not. 5. quando dicimus per consequentiam personæ Vasalli, professi in Religione bonorum temporalium saltem in communi habendorum capaci, feudum ejus, quod est ex pacto, & providentia transire ad monasterium, debere intelligi, 1. solum, quam diu vivit talis professus ut jam diximus sup. Deinde si habeant annexum aliquid repugnans statui Regularium (ut jurisdictionem criminalem) quo casu retinebit quidem monasterium dominium ejus utile, dum vivit Vasallus professus; non autem quoad illam jurisdictionem, ut notat Fagnanus c. *qua in Ecclesiarum* n. 102. & alii. 3. nisi in principio constitutum sit expressè, *santum pro Laicis*; vel ad incertum servitium; ita Sanchez cit. à n. 40. Dixi: feudum, quod est ex pacto,



paſſo, & providentia; nam ſi ſit pater-  
num, vel hæreditarium ſimpliciter, ni-  
mirum ad omnes hæredes, atque adeo  
eſt inſtar proprietatis, etiam tranſit in  
perpetuum ad Monafterium per mortem  
Vaſalli, ſicut alia ejus bona, quæ ha-  
buit jure proprietatis, ut tradit Felinus  
c. in præſentia. 8. de probat. n. 48.

§. 5.

De inveſtitura Vaſalli.

1724 **I**nveſtitura proprie dicta (quæ eſt rea-  
lis quadam, & corporalis traditio,  
vel occupatio poſſeſſionis rei in feudum  
datæ) eſt ſolemnis actus, per quem Va-  
ſallus domino ad fidem obligatur, & in  
rei feudalis poſſeſſionem mittitur; abu-  
ſiva vero (ſeu, ut aliqui dicunt *ſicta*)  
contingit, quando dominus alio modo,  
quam in rei feudalis præſentia, vel abs-  
que actuali traditione poſſeſſionis, gla-  
dium, haſtam, vexillum, vel ſimile ſig-  
num corporeum porrigit, & per hoc  
inveſtituram ſe facere diſt. lib. 2. tit. 2.  
de quo notat Gail. l. 2. obſerv. 152. n.  
14. per iſtam inveſtituram abuſivam non  
induci veram poſſeſſionem; ſed fingi,  
dari Vaſallo licentiam propria autori-  
tate apprehendendi ipſam poſſeſſionem.  
Unde non parit interdictum *Recuperan-  
da*; ſed tantum *adipiſcenda* poſſeſſionis;  
quibus poſitis:

1725 **Q**ueſtio 1. eſt, quæ ſolemnitas ſit *de  
ſubſtantia* inveſtituræ abuſivæ? 2. an hæc  
ſolemnitas etiam requiratur in feudo Ec-  
cleſiaſtico? 3. an etiam per inveſtitu-  
ram abuſivam aliquando transferatur in  
Vaſallum poſſeſſio? 4. quid operetur  
clauſula: *propter merita & ſervitia præ-  
ſtita*? 5. quis ex pluribus hæredibus de-  
beat inveſtituram petere? 6. an aliquân-  
do renovatione inveſtituræ opus ſit? 7.  
quæ ſit poena neglectæ renovationis in-  
veſtituræ? 8. an renovatio poſſit fieri  
per Procuratorem? 9. à quo domino  
peti debeat renovatio inveſtituræ? 10.  
an tunc dari debeat laudemium, vel,  
ut alii volunt *Relevium*? 11. ubi peten-  
da? 12. an coram teſtibus? 13. intra  
quod tempus? 14. an poſſit mora pur-  
gari? 15. an minor reſtituatur contra ne-

Tom. III.

glectum tempus inveſtituræ? 16. an feu-  
dum præſcriptione acquiri poſſit?

Ad 1. R. quod probabilior Docto-  
rum ſententia habeat, exigi, quod fiat  
vel coram Paribus Curia, vel per in-  
ſtrumentum, ut videri poteſt apud  
Haunold. tom. 3. tr. 9. à n. 656. ad 2.  
diftinguendum, an Clerici inveſtiantur  
de bonis propriis? an de bonis Ecclē-  
ſiaſticis? in primo caſu dicendum; af-  
firmativè, ex L. 2. feud. tit. 32. c. 1. ibi:  
*præterquam quod de perſonis reſtium di-  
ctum eſt.* Coeterum ubi dominus non  
poteſt habere, vel non habet pares  
Curia, vel ſolum inhabiles, ſufficiunt te-  
ſtes extranei.

Ad 3. R. Quod ſic; ſi ea inveſtitura  
ſiat in præſentia rei in feudum conceſſæ  
ſignis illis eo ſine factis, ut in Vaſallum  
etiam tranſeat poſſeſſio; arg. L. 1. §. 21.  
ff. de acquir. poſſeſſ.

Ad 4. reſpondent communiter Do-  
ctores, quod operetur hunc effectum,  
ut feudum Vaſallo, aut ejus poſteris,  
auferri non poſſit ob ullam feloniam.

Ad 5. R. Singulos inveſtituram pete-  
re, ac fidelitatem jurare debere, ſi ha-  
beant feudum indiviſum; ſi autem ex  
diſiſione pertineat totum ad unum, hunc  
ſolum teneri per L. 2. tit. 26. §. *omnes  
filii*: Si pars ad unum, alia pars ad al-  
terum, teneri ſingulos pro ſua parte per  
L. 2. §. 55.

Ad 6. ante reſponſionem nota reno-  
vationem inveſtituræ nihil aliud eſſe,  
quam feudi, legitimè acquiſiti, ob do-  
minum ſeu Vaſallum mutatum, promi-  
ſſione fidelitatis interveniente, ſolen-  
niter factam confirmationem; quo po-  
ſito Reſp. faciendam, ſi vel dominus  
feudi, vel Vaſallus, aut mortuus ſit,  
aut alia ratione mutatus, ut liquet ex  
hujus renovationis definitione.

Ad 7. R. Quod ſit commiſſum feudi;  
ſeu, quod Vaſallus cadat à jure feudi,  
ut conſtabit ex dicend. in ſeqq. contro-  
verſum eſt, an ſi dominus tempore de-  
bito inveſtituram petenti Vaſallo con-  
cedere negligat, & ipſe cadat jure do-  
minii? Reſp. quod communior quidem  
opinio affirmet, 1. ex hac ratione; quia  
hoc ipſo, quod jus feudale Vaſallum,  
ad petendam inveſtituræ renovationem  
intra certum tempus ſub poena amiſſio-  
nis

Fff

nis



nis feudi adstringat, censetur etiam Dominum adstringere ad faciendam investituram; cum Dominum, & Vasallum ad paria teneri constet, ut mox dicitur; 2. ex l. 2. feud. tit. 6. c. *In Epistola*, ibi: *Dominus quoque in his omnibus vicem fidei suo reddere debet: quod si non fecerit, merito censetur male fidus, si ut ille, qui in eorum pravaricatione, vel faciendo, vel consentiendo d. prehensus fuerit, perfidus, & perjurus.* Verum hæc argumenta (seclusa autoritate extrinsecâ) non evincunt intentum; nam investitura principaliter respicit favorem domini directi, ut per eam à Vasallo, in feudum succedente, fiat recognitio domini directi in eo, & præstetur obligatio fidelitatis; textus etiam nullam facit mentionem de privatione domini; sed solum compellat eum perfidum.

Ad 8. Resp. posse (nisi vel consuetudine, vel Domini directi constitutione, aliud exigatur) saltem si Procurator habeat mandatum speciale, per L. 2. feud. tit. 3. c. 1. §. *Investitura*,

1729

Ad 9. Resp. quod à Domino immediato, & proximo, etiamsi sit pupillus; & etiamsi Vasallus jam ante fidelitatem successoribus juravit; Sufficit autem peti investituram ab eo, quem dominus ad hoc speciali mandato constituit; Solent enim Principes ad hoc constituere suos vice-dominos, aut Cancellarios; quod etiam procedit in Vasallo Vasalli, ut teneatur solum petere ab immediato respectivo domino, hoc est, Vasallo, à quo est subinvestitus: nam huic soli tenetur præstare servitia. Not. per *Relevium* intelligi jus, quod in Cancellaria solvidebet, (ut notat *Pereyra* in *Elucidar. n. 1828.*) v. g. ut quis liber sit à solutione decimæ; quoposito. Resp. hoc non esse de natura feudi; cum id nullo jure definitum sit; quandoque tamen id habet consuetudo, cui parendum est, ubi legitime inducta est, tacito saltem consensu Vasallorum, & Domini directi; *non scribarum & Cancellaria*, detinentium expeditionem instrumenti investituræ, nisi taxa, quam cudent, & augent ipsi arbitrio suo, deponatur, an justè? cum legem ferre non possint, nec consuetudinem præferim, nixam avaritiæ cupiditate, legitimam inducere.

Ad 11. Regulariter perendam in loco territorii, & solitæ habitationis Domini directi; & cum sit actus jurisdictionis voluntariæ, concedi posse etiam extra territorium. 1730

Ad 12. Resp. requiri testes, spectato jure feudali; nam postquam l. 2. tit. 32. dictum esset, investituram novam, sine Paribus Curia, tanquam testibus, factam non valere: postea de veteris investituræ renovatione dicitur: *testes extraneos recipi*: quo tacite videtur supponi, hos esse necessarios.

Ad 13. Resp. aliud esse tempus præscriptum pro Paganis, aliud pro milite:

Pro paganis indulgetur annus, & dies 1731  
pro milite, annus, & mensis; colligitur ex lib. 2. tit. 24. ibi: *prima autem causa beneficii amittendi hæc fuit, & adhuc est in plerisque Curia, quod, si Vasallus per annum, & diem, Domino suo mortuo steterit, quod heredem Domini sui, investituram petendo, fidelitatem pollicendo, non adierit, tanquam ingratus existens, beneficium amittit; & è converso, si Domino superstitie Vasallus decesserit, & filius ejus per jam dictum tempus neglexerit petere investituram, beneficium carebit.* De milite vero l. 1. tit. 22. ibi: *Sancimus, ut nemo miles ultra annum, & mensem vadat, ut investituram beneficii sui à filio, vel successore Domini sui petat, vel post mortem Domini sui, vel Patris sui, vel alterius, cui succedere debet, nisi justa causa intervenerit, quare non petierit, vel in mortis, vel capitales inimicitia, vel infamia (alii legunt: infamia) vel justa absentia, & si non petierit, damnatur.*

Not. autem, quod non omnes, ad 1732  
quos ex prima investitura feudum aliquo modo, nimirum jure successionis, pertinet, teneantur investituram petere, sed solum immediati, & proximi; quod aliqui probant ex L. 2. feud. tit. 35. c. *Imperialem*, §. 1. ratione autem ex eo, quia soli Vasalli tenentur ad ejus petitionem; remotiores autem agnati necdum Vasalli, nec jus feudi adhuc possident, nec ad illa servitia obligantur, igitur non est; unde teneantur ad petendam investituram.

Ad 14. Resp. quod communior teneat, 1733  
quod



quod non; nullibi enim in jure legitur, Vasallo concedi quod neglectam renovationem investiturae purgare possit celeris satisfactione contra leges superius relatas. Verum est, hoc jure canonico concedi Emphyteuta, ut habetur c. 3. de Locati, si neglexit solutionem canonis debito tempore; sed ab hoc non fit paritas ad Vasallum propter leges in contrarium stantes, loc. cit. censent tamen aliqui cum Julio Claro q. 49. n. 9. concedendum ex aequitate.

Ad 15. Resp. quod sic, si neglectus investiturae non provenit ex contumacia, per L. 9. ff. de Minoribus. §. 5. ibi: *Si in commissum incidisse vectigalium dicatur, erit in integrum restituito; quod sic erit accipiendum si non dolus ipsorum interveniat: ceterum cessabit restituito.* Dixi: *si non provenit ex contumacia*; intellige *vera*; si enim ex *presumpta* tantum, videtur etiam restituendus ex L. 8. ff. eod. ibi: *Minor etiam si quasi contumax condemnatus sit: in integrum restitutionis auxilium implorabit*: intelligenda est, quando ob praesumptam, non veram contumaciam condemnatus. Unde quando dicitur, Minoribus ex delicto non subveniri; verum esse, si sit delictum ex natura rei, seu Theologicum; cum autem mere civile; quale est neglectus renovationis investiturae. Ad 16. constat ex lib. 2. de Praescript.

1734 Prater dicta not. 1. Vasallum ex successione, proximum pubertati, retinere feudum, nec ante completum 14. aetatis annum teneri ad petendam investituram, lib. 2. feud. tit. 55. c. *Imperialem*, §. 1. quo sensu etiam intelligendus venit textus lib. 2. tit. 26. §. *si quis*, ibi: *fidelitatem facere non cogatur, donec venerit in majorem aetatem*, nimirum pubertatis completae, ubi §. sequenti additur, *si quis decesserit filio impubere relicto, fidelitatem nec ipse, nec alius pro eo facere cogitur; idem de servitio personali: alius tamen pro eo faciens servitium admittetur.* Sed in hoc attendenda est consuetudo; & hac aetas attenditur etiam in foeminis, cum leges indefinite loquantur.

1735 Not. 2. tempus, intra quod debet renovari investitura, incipere currere à die

Tom. III.

*scientia*, quod feudum sit apertum, seu per mortem Domini, seu per mortem Vasalli: & est quidem continuum quoad dies etiam feriatos; sed tamen utile, ita, ut si justum impedimentum interveniret, durantis impedimenti tempus non computaretur; colligitur hoc ex l. 1. feud. tit. 22. relato supr. ibi: *nisi justa causa intervenierit*; cum priori parte excipe casum, quo feudum est hereditarium; tunc enim tempus non incipit currere à die notitiae, ut dictum est; sed *post aditam hereditatem*; nam antequam adeatur hereditas, investitura peti non potest, cum necdum habeatur jus ad feudum. Unde, quando dicitur, quod *filius ipso jure sit haeres*, intelligitur haeres in potentia proxima; sed non in actu; cum possit non acceptari.

§. 6.

### De juramento fidelitatis.

Duplex reperitur formula juramenti, 1736 quo Vasallus Domino directo jurat fidelitatem in investitura; prima reperitur lib. 2. feud. tit. 5. ibi: *Ego juro ad haec Sancta Dei Evangelia, quod quodammodo in antea ero fidelis huic, sicut debet esse Vasallus Domino, nec id, quod mihi sub nomine fidelitatis commiserit Dominus, pandam alii ad ejus detrimentum me sciente.* Altera lib. 7. ibi: *est & alia de novo super fidelitatis juramento forma inventa, & utentium approbata consuetudine, qua hodie fere in omni Curia videtur obtinere*, cujus verba sunt: *Ego X. juro, super haec Sancta Dei Evangelia, quod ab hac hora in antea usque ad ultimum diem vitae meae ero fidelis tibi Cajo Domino meo, contra omnem hominem excepto Imperatore vel Rege.*

1737 Circa istam formulam juramenti dubitari potest 1. ad quid extendat sese vox illa: *ero fidelis*? 2. quanam sint *servitia*, ad quae vi sui juramenti obligatur Vasallus? 3. quas obligationes reciprocas habeat Dominus?

Ad 1. & 2. quod communiter explicetur his verbis: *Ego juro, quod nunquam scienter ero in consilio, vel auxilio, vel in facto, quod tu amittas vitam, vel membrum aliquod, vel quod tu recipias in*

Eff 2

per-



persona aliquam lesionem, vel injuriam, vel contumeliam: vel quod tu amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel in antea habebis: & si scivero, vel audivero de aliquo, qui velit aliquid istorum contra te facere, pro posse meo, ut non fiat, impedimentum prestabo: & si impedimentum prestare nequivero, quam cito potero, tibi nuntiabo, & contra eum, prout poterero, auxilium tibi prestabo: etsi contigerit, terrem aliquam, quam habes, vel habebis, injusto, vel fortuito casu amittere, eam recuperare jurabo, & recuperatam omni tempore retinere; & si scivero te velle juste aliquem offendere, & inde generaliter, vel specialiter fuero requisitus, meum tibi, sicut poterero, prestabo auxilium, & si aliquid mihi de secreto manifestaveris, illud sine tua licentia nemini pandam, vel per quod pandatur, faciam; & si consilium meum super aliquo facto postulaveris, illud tibi dabo consilium, quod mihi videbitur magis expedire tibi, & nunquam ex persona mea aliquid faciam scienter, quod pertinet ad tuam, vel tuorum injuriam, vel contumeliam; sic exponitur apud Hauld. tom. 3. tr. 9. n. 694.

1738 Not. autem illa, quod ero tibi fidelis contra omnem hominem excepto imperatore, vel Rege, debere restrictè intelligi ad omnem hominem, contra quem salva conscientia, atque adeo pietate, esse licuerit; juramentum enim intelligitur de his, quæ licite fieri possunt, & non repugnant naturali justitiæ, ac pietati; in casu autem, quo quis habet duplex feudum, & occurrit casus, quod domini directi inter se discordent, ac quisvis petat obsequia Vasalli; censent aliqui teneri adesse illi, cui prius juravit, quod secundum juramentum intelligatur solum de his, quæ licite potest, atque adeo non de assententia contra dominum priorem, cui prius juravit; alii dicunt etiam primum juramentum esse tacite conditionatum, si alio juramento non prohibeatur: alii demum volunt in tali casu præferendum dominum antiqui feudi, licet Vasallus in id primo successerit, postquam noviter accepit feudum aliud, ab alio.

1739 Ad 2. Resp. Servitia, seu obsequia, Domino à Vasallo debita, exprimi eod. lib. tit. 6. ibi: qui domino suo fidelitatem

jurat, ista sex in memoria semper habere debet: incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile: & quidem, incolume, ne sit in damno domino suo de corpore suo; tutum: ne sit ei in damno de secreto suo, vel de munitionibus suis, per quas esse tutus potest; honestum: ne sit ei in damno de sua justitia, vel de aliis causis, quæ ad honestatem ejus pertinere videntur; utile: ne sit ei in damno de suis possessionibus; facile, vel possibile: ne id bonum, quod Dominus suus facere leviter poterat, faciat ei difficile: neve id, quod possibile ei erat, faciat impossibile; & quia non sufficit abstinere à malo, nisi fiat, quod bonum est, restat, ut in sex prædictis consilium, & auxilium Domino præstet.

Ad 3. Resp. inter præcipuas Domini 1740 obligationes esse, quod spectato jure cõmuni non possit jus suum Domini directi, invito Vasallo, in alium transferre, nisi proprietate, feudi Vasallo applicanda, cadere velit. §. ex ead. L. 2. tit. 34. Ex eadem lege descendit, quod dominus, sine voluntate Vasalli, feudum alienare non potest. Cõterum obligario Domini, relate ad Vasallum, multo minor est obligatione Vasalli ad Dominum; nam Dominus non tenetur Vasallo jurare fidelitatem; Vasallus tenetur fructus pignoris à domino dati pro certo debito computare in sortem; dominus autem non, si feudum à Vasallo accepit in pignus debiti; dominus non amittit dominium directum feudi negligens in tempore dare investituram Vasallo; hic autem jus utile, negligens investituram renovare debito tempore &c. Hæc insinuasse sufficiat, quantum est fori nostri.

## ARTICULUS II.

### De Emphyteusi.

Supponendum 1. de Pereyra in Elu. 1741 Scid. n. 991. Emphyteusim dici à Græco verbo Emphyteuo, quod est *insero, planto, quasi implantatio, insitio*. Nam in Emphyteusim accipit quis rem, ut exsterili, fertilem, quasi plantando, efficiat; ac



ac proinde melioret; unde Accursius in Authen. de non alienan. §. *scire autem*, affirmat, Emphyteusim dictam ab *Emponemate*, quasi contractum meliorationis; *emponema* enim, Græce, idem valet, atque latine *melioratio*: Molina tom. 2. D. 445.

1742 Suppon. 2. quod *Emphyteusis* communiter definiatur, contractus, quo res immobilis, quoad utile dominium, conceditur, sub reali pensione, statutis temporibus Domino proprietatis, ea de causa, solvenda: ponitur *contractus* pro genere: additur particula (*res immobilis*) quia, ut colligitur ex L. 2. C. de jure emphyt. contractus hic esse non potest, nisi de re immobili. Consulto non posuit Molina expressionem *temporis*. ad vitandas opiniones de perpetuitate, & longitudine temporis ad emphyteusim requisita.

1743 Suppon. 3. exactius definiri à Lesio. l. 2. c. 24. n. 3. quod sit *concessio rei immobilis, cum translatione Domini utilis, retento directo. sub onere certa pensionis, proprietario solvenda (idque vel in perpetuum, vel ad unius, vel plurimum vitam) ad certum tempus, quod decennio non sit minus.* Unde differt *emphyteusis à locatione*, i. quod illa solum possit constitui in re immobili, quæ possit cultura effici melior; 2. quod per eandem transferatur *dominium utile*: 3. quod non fiat ad brevius tempus, quam decennii; quorum nullum reperitur in locatione, stricte accepta.

1744 Suppon. 4. *Emphyteutam* dici, qui rem in emphyteusim à Domino directo, proindeque dominium utile rei immobilis predicto modo accipit; in Codice autem lib. 11. tit. 6. *Conductores* accipi pro emphyteutis, qui fundos utriusque patrimonii Principis in emphyteusim accipiunt, sive saltuenses sint, sive non.

1745 Suppon. 5. apud Azortom. 3. l. 10. c. 4. *emphyteusim* dividi i. in Ecclesiasticam, & secularem; 2. in novam, & veterem; 3. in hæreditariam, & non hæreditariam; 4. in emphyteusim ex pacto, & providentia, ac eam, quæ est liberæ nominationis. *Ecclesiastica* dicitur, quæ constituta est in re, cujus proprietatem, seu dominium habet aliqua Ec-

clesia, monasterium, Collegium Canoniorum, hospitale, domus, quæ sit Religiosus locus; dominium vero utile habeat sive laicus, sive Clericus: *Secularis*, (quæ etiam *Laica*, & *profana* dicitur) est constituta in re, cujus Dominium directum habet Laicus; utile vero habet sive Laicus, sive Clericus; solum enim habetur ratio proprietarii, seu habentis dominium directum.

*Nova* est, quæ pervenit ad primum emphyteuticarium, quamvis detur ea conditione, ut ad hæredes transferatur; *vetus*, quæ, post finitum tempus primæ emphyteusis, pervenit ad secundum Emphyteuticarium: *Hæreditaria* dicitur, quæ ad hæredes, sive extraneos, & voluntarios; sive necessarios, & naturales, transfertur: *Non hæreditaria* dicitur, quæ habetur vel donatione, vel venditione, vel permutatione, vel præscriptione, vel nominatione; non autem, *ex vi hæreditatis*.

*Emphyteusis ex pacto, & providentia* (quæ etiam dicitur *ex familia*, seu *familia*) nominatur, in cujus investitura, & concessione, nulla fit mentio hæredum; & acquiritur pro se, & filiis; vel, pro se, & descendentibus: *emphyteusis libera nominationis* est illa, in quam potest nominari quicumque; ibi enim idem valet *libera nominatio*, atque *non necessaria*; *Necessaria* enim est, per quam nominator cogitur ad nominandum certum, vel aliquem ex certis.

Suppon. 6. quamvis *livellus*, seu *libellus*, vel *contractus Libellaticus* (ut notat Lesius l. 2. c. 24. n. 6.) passim accipitur tum pro emphyteusi, tum pro feudo (unde communiter id, quod datur in emphyteusim, vel feudum, dicitur dari *in livellum*) tamen annuente Molina tom. 2. D. 471. *Livellus*, seu *contractus livellaticus* dicitur proprie, quando emphyteuta, vel feudatarius rem eam, quam in feudum, vel emphyteusim accepit; (scilicet contractu) tradit tertio, ut sic veluti *subfeudum*, vel *subemphyteusis*. Unde *livellare* est idem, atque *subinfeudare*, hoc est, primum feudum acceptum, dare in feudum: vel *subemphyteutare*, hoc est primum emphyteusim acceptam, dare in emphyteusim.



1749

Suppon. 7. per *canonem* emphyteuticum, ut haberetur L. *ult.* C. de jure emphyteut. intelligi certam pensionem, quæ in singulos annos solvitur ex re accepta in emphyteusim, ut emphyteuta dominum semper recognoscat; *canon* enim in jure civili dicitur *anniversaria pensio*, seu *prestatio*, quæ à Provincialibus quotannis populo, vel Romano, vel Constantinopolitano gratis mittebatur. Dicitur *canon gleba*, qui ratione glebae prestabatur: *canon telonei*, qui ratione mensæ publicanorum pendebatur; per *Laudemium* autem intellige certam partem pretii, seu estimationis rei venditæ, quæ (ut inquit Lesius cit. n. 57. jure communi est *quingagesima*; consuetudine vero, *trigesima*, quam emphyteuta solvit domino, quando ex ipsius consensu rem emphyteuticam vendit, donat, permutat, seu alienat; his in genere præmissis:

## §. I.

## De constitutione emphyteusis.

1750

Quæstio 1. est, an emphyteusis Ecclesiastica necessario constituatur scripturâ? R. probabilior affirmare ex L. 1. C. de jure emphyteut. ibi: *actionibus scriptura interveniente*; ubi nota duos ablativos absolute poni, qui denotant conditionem, ut sensus sit: *si scriptura inter venerit*. Et in L. 2. expresse dicitur: *actiones in emphyteuticis instrumentis*; & L. 3. *si emphyteuticum instrumentum aliquas actiones habeat*; esto verum sit, ante prædictas leges non fuisse requisitam, etiam privatam, quæ tamen hodie sufficit; licet Ecclesiastica *perpetua* requirat *Scripturam auctoritate publica* confectam, ut constat ex Novella 7. Et hoc in emphyteusi Ecclesiastica *perpetua* communis tenet; circa alias emphyteuses dissentiunt Doctores; probabilior tamen affirmat, propter citates leges, quæ indefinite loquuntur.

1751

Quæstio est 2. in quibus rebus constitui possit? R. quod in solis immobilibus, ex n. 1741. hinc in rebus mobilibus, ne quidem illis juribus, quæ immobilibus comparantur, ut sunt annui redditus

perpetui, constitui potest; sic Haunoldus tom. 3. de Just. tr. 9. c. 4. n. 472. Emphyteusis probabilior est contractus *stricti juris*, ut notat Fachinus l. 2. c. 99. quia, §. 58. Instit. de actionib. (ubi exactè referuntur contractus bonæ fidei) & inter eos non ponitur emphyteusis, quæ, cum propriam habeat naturam (ut dicitur §. 3. Instit. de Locat.) non potest ibi venire sub nomine Locationis, vel Conductionis.

Quæstio est 3. an constitui possit etiam in re Ecclesiastica? R. Id prohiberi Prælati, quoad res Ecclesiasticas, non servatis solemnitatibus, ut dictum est tit. 13. cum veniat sub nomine alienationis, ut constat ex Extravag. *Ambitiosa* de reb. Eccles. non alienand. & per eam diminuitur jus Domini. Hæc prohibitio intelligenda est *de novo dando rem Ecclesiasticam in emphyteusim*; non autem, *cum semel data revertitur, ad Ecclesiam*, idque non obstante juramento, quo se obligavit ad res Ecclesiæ non alienandas c. 2. de Feudis; quia sic non tam alienat, quam non acquirit, vel utitur; modo perseveret eadem ratio, & causa concessionis; ea enim cessante rursum dare in emphyteusim esset alienatio prohibita, c. *ut super* 8. de reb. Eccles. non alien.

## §. 2.

## De obligatione solvendi canonem.

Cum tres communiter emphyteuta 1751 obligationes recensentur (è quibus prima est solvendi canonis annui; c. 5. de Locat. altera, ne rem emphyteuticam alienet L. 3. C. de jure emphyteutico, quia Domini interest, rem apud alium esse propter actionem personalem, quam transferre invitus non tenetur: 3. ut rem meliorem reddat, secundum nomen, & concessionis rationem. De prima solvendi canonis annui obligatione dicendum, si emphyteuta biennio negligat solutionem canonis, emphyteusim Ecclesiasticam committi, per c. *Potuit*. 5. de locato, ibi: *emphyteuta cessando in solutione canonis per biennium* (nisi



(nisi celeri satisfactione postmodum sibi consulere studisset) jure potuisset repelli; non obstante, quod ei ut canonem solveret, non extitit nuntiatum: cum in hoc casu dies statuta pro Domino interpellat. Ex quibus verbis etiam colligitur, jure canonico indulgeri purgationem moræ, satisfactione celeri; quæ vero satisfactio requisitam celeritatem habeat? non conveniunt Doctores; alii volunt eam celerem, quæ fit ante citationem judicialem, sed de hoc c. fin. non loquitur; alii dicunt celerem, quæ fit post lapsum terminum, interposito tempore modico, v. g. decem dierum, per L. Promissor. §. 1. ff. de constit. pec. alii definiunt eam Judicis, vel prudentis arbitrio, cum de illa jus nihil determinet; sic Glossa ad cit. c. fin. Zoësius h. t. n. 17. eam vocat celerem, quæ fit in continenti lapsu biennio; quia, post hoc, Domino jus jam quæsitum est, declarandi rem commissam.

1754 Not. autem, quod neglectus Canonis non inducat rei commissionem, seu caducitatem ipso jure; primo, quia jure canonico mora purgari potest; 2. quia requiritur declaratio Domini per quam dicat, se rem habere pro commissa; vel judicialis, vel extra judicialis. L. 2. C. de jure emphyt. si tamen Dominus post tempus lapsum recipiat canonem debitum, censetur renittere caducitatem. Coeterum licet jus emphyteutæ committatur; domino tamen, ne sibi jus dicat, non licet emphyteutam expellere, autoritate propria, sed publica.

1755 Not. 2. per solutionem canonis solum in parte, non evitari commissionem totius arg. L. Hæredes 25. §. Idem juris. ff. familia Heriscund. nec in hoc casu prodesse compensationem; hæc enim fit ipso jure; solutio autem Canonis petit factum hominis agnoscentis Dominium directum in concedente; nec sterilitatem; quia pensio annua non solvitur ratione fructuum: Sed recognoscendi domini causa, quod etiam in sterilitate manet; re tamen in hostium potestatem redacta, vel alias perditæ, emphyteuta liberatur à præstando canone, quia non est cujus nomine solvatur.

Not. 3. quod diximus de tempore solvendi canonis juxta sacros Canones, & poena commissi ex ejus neglectu; jure civili aliter obrinere. Nam L. 2. C. de jure emphyteut. emphyteusis laica committitur neglectu Canonis non soluti triennio; nec moræ purgatio indulgetur; esto non foret interpellatus à Domino, nisi aliud deductum sit in pactum; quod aliqui volunt procedere; licet Ecclesia haberet emphyteusim communem, hoc est, non Ecclesiasticam; hoc tamen discrimine, quod illi concederetur beneficium restitutionis in integrum.

Not. 4. quantitatem Canonis, seu pensionis ab Emphyteuta solvendæ, pendere ex arbitrio contrahentium, considerata proportione fructuum sperandorum; constitui potest in pecunia; vel qualibet re alia æquivalente; anni tempus pro solutione non est certum, sed constitui potest conventionem partium.

## §. 3.

De venditione rei emphyteusi  
subjectæ.

Alteram emphyteutæ obligationem esse diximus, ne rem emphyteuticam alienet; sed hoc intellige de alienatione perfecta per traditionem; quamdiu enim res in bonis emphyteutæ manet, non potest dici alienata; hinc, sub alienationis nomine hic, venit quilibet actus, quo res dominum mutat; sic Zoësius de locato n. 21. excipitur tamen mutatio per venditionem; hæc enim citra poenam commissi emphyteutæ licet, si prius domino venditionem denuntiet, & ille vel emere recusat, vel post denuntiationem, bimestri siluit. L. 3. C. de jure emphyt. & c. fin. de locat. at in tali casu venditionis domino debetur honorarium non pro libitu Domini exigendum; sed restrictum, per cit. L. 3. ad quinquagesimam partem pretii, vel æstimationis; quod honorarium, vulgo laudemium dicitur, quamvis jam Domini directi, in casu, quo res emphyteutica alienatur, exigant in multis locis partem decimam pretii, ut alibi diximus, imo



- imo & tertiam; sed de laudemio V. infra à n. 1763.
- 1758 Circa hunc casum de alienatione rei emphyteuticæ not. 1. Emphyteutam, absque periculo caducitatis, posse rem emphyteuticam, & meliorationes exponere venales ad explorandum, quanto pretio possit habere emptorem? ratio est, quia; quando illam vult vendere, debet attestationem Domino transmittere, & prædicere, quantum premium ab alio revera accipi potest L. 3. C. h. t. & ut habetur c. *potuit*, de locato, ei nuntiare, quantum sibi ab aliis offeratur; atqui non posset hoc nuntiare, nisi prius exposuisset venalem rem, neque ad hanc expositionem faciendam requirunt jura consensum Domini; ergo. &c.
- 1759 Not. 2. Cum, recusante emptionem Domino, emphyteuta rem vendit alteri; hunc debere esse talem, ut à Domino ex alio capite non possit merito recusari, id, quod notatur L. 3. C. h. t. ibi: *his tamen personis, quæ non solent in emphyteuticis contractibus vetari ad hujusmodi venire emptionem.* De his V. Molin. D. 459. à n. 4.
- 1760 Not. 3. Si emphyteuta venderet rem, non observatis his, quæ ad hoc requisita esse præmissimus, eum incidere in commissum tam juris emphyteutici, quam meliorationum, & venditio esset nulla, quia jure prohibita L. 3. C. eod. in fine ibi: *si autem aliter fuerit versatus, quam nostra constitutio disposuit jure emphyteutico cadat.*
- 1761 Not. 4. emphyteutam posse rem emphyteuticam oppignorare, vel ei servitutem imponere non requisito consensu domini; dummodo hinc nullum præjudicium imminet Domino. L. 16. §. 2. ff. de pign. act. ibi: *etiam vestigale prædium pignori dari potest;* idem est dicendum de servitutis impositione, quæ tamen non diutius duret, quam emphyteusis utile dominium; hac enim ratione nemini, nisi sibi emphyteuta præjudicat.
- 1762 Not. 5. Eundem posse rem ad breve tempus locare pro pensione; imo etiam ad longum, non quidem rem ipsam (hoc enim esset Subemphyteuticare, quod non licet sine consensu domini, quia est alienatio, & contractus emphyteuticus novus, & ex communi tradit Molin. D. 445. seqq. & D. 461. n. 2.) sed commoditatem juxta factam explicationem sup. à n. 1257.
- §. 4.
- ### De solutione laudemii.
- Suppon. debitum *Laudemii* (de quo n. 1763) fundari in L. 3. C. de jure emphyteut. ubi postquam definitum est, quod Dominus directus emptorem juris emphyteutici, debite venditi, teneatur in possessionem suscipere, additur: *& ne avaritia tenti Domini magnam molem pecuniarum, propter hoc, efflagient, non amplius eis liceat, pro subscriptione sua, vel depositione, nisi quinquagesimam partem pretii, vel æstimationis loci, qui ad aliam personam transferretur, accipere.* Ex hac juris communis constitutione coll. 1. *Laudemium deberi, quando locus (intellige res emphyteutica) transferretur in aliam personam; 2. hoc laudemii debitum fundari in investitura novi emphyteutæ, ut habetur L. cit. 3. quantitatem laudemii præstandi lege taxari ne propter hoc Domini ex avaritia magnam molem pecuniarum efflagient, esto hodie in multis locis etiam decimam pretii, vel æstimationis partem admittat consuetudo.*
- Sed nota, hanc juris communis constitutionem limitari 1. ut non procedat, cum resolutio contractus, vel pacto de redimendo, res redit ad venditorem; ita Lessius lib. 2. de jure, & Just. c. 24. n. 57. Streinius p. 2. in summa juris can. tit. 10. §. 2. n. 4. Sylvest. V. *Emphyteusis* n. 28. ex Bartol. & aliis; sed intellige in casu, quo causa retrovendendi non est nova. Unde Haunold. tom. 3. tract. de emphyt. n. 550. universim docet (si concessum fuit emphyteutæ in prima constitutione, ut possit alium nominare) non deberi laudemium, esto emphyteusis relinquatur alteri titulo legati, hæreditatis, vel nominationis, quia non celebratur *novus* contractus.
- Limitatur 2. ut de jure non debeat laudemium, quando rem emphyteuticam inter se dividunt hæredes; ita Lessius,



fuis, Sylv. Strein. cit. & alii; cum hæc alienatio sit necessaria; nam in casu alienationis necessaria, jure communi, non debet laudemium, passim docent legistæ, canonistæ, volentes deberi solum, cum alienatio est voluntaria, ut etiam docet Bartol. in L. & ideo. ff. de cond. furt. Sylv. Lessius, & expresse Sichardus cit. n. 35. alienationem vocans necessariam, ad quam lex adigit; qui doctrinam suam firmat L. fin. de litig. ubi dicitur, quod, licet nec res, actio litigiosa possit in alterum alienari sub pœna, quæ ibi exprimitur; illa pœna tamen non extendatur ad eos, qui alienant de necessitate (nimirum lege ad hoc adigente) id quod apud Sichardum cit. n. 36. etiam docet Jafon, affirmans non deberi laudemium in casu alienationis necessaria.

1766 Limitatur 3. ut non debeatur laudemium, quando hæres necessarius rem emphyteuticam accipit titulo hæreditatis; ita Lessius, Sylv. Strein. cit. quia debitum laudemii fundatur in labore domini novum emphyteutam mittendi in possessionem; ita communis cum Sichardo cit. n. 32. & Gloss. in L. fin. de re emphyt. V. estimationis; Sed hoc in dato casu non requiritur, cum talis hæres autoritate propria possit adire hæreditatem, ut dicitur in authent. de hæ. & fa. §. in omnibus. ergo. Hæc limitatio universalis est ita, ut procedat, quotiescumque is, qui succedit, in priori investitura est comprehensus; nam laudemium eo tantum casu debetur domino directo, quo res emphyteutica transit in emphyteutam novum; sed qui in priori investitura comprehensus est, non est emphyteuta novus; ergo hic non cogetur solvere laudemium; ita in terminis Sichardus cit. n. 34. Streinius cit. n. 4.

1767 Limitatur 4. ut laudemium non debeatur, si transit res emphyteutica ad aliquam communitatem per consequentiam personæ, quam sequitur jus suum, eique cohærens; ita Sanchez l. 7. Decal. c. 15. n. 65. Tum quia sic manet idem emphyteuta, & communitas illum habens, habet jus emphyteuticum, ratione illius, non ratione sui, ut dictum est n. 1716. tum quia sic penes ta-

Tom. III.

lem communitatem est jus emphyteuticum, non ex alienatione, sed ratione partis, seu personæ in istum translata, quo casu manifestum est, quod jus emphyteuticum in totam communitatem illam non transeat ex eo, quod illud à se alienet pars in ipsam translata, sed quod illud secum per consequentiam suæ personæ (cui, quam diu naturaliter vivit, cohæret) secum ferat, & de inferendo illi, secum inserat toti; & sic clarum est, non intervenire alienationem, vel mutationem; sed tantum naturalem acquisitionem, ob quam nullum deberi laudemium indubitabile videtur ex n. 1763. ergo.

Dices: limitationes istas procedere quidem de jure communi, sed non consuetudinario; nam per Cæsarea generalia, præsertim Ferdinandi II. de 9. August. 1624. per tota Styria concessum est, jus exigendi laudemium à quolibet, ubi fit venditio, vel mutatio, ibi: **Und die gnädigste Verwilligung gethan / daß von allen und jeden Vergrechtern / von nun an / in künfftigen Verkaufung / oder Veränderung / in dem ganken Land Steyer der zehende Pfening abgefördert / und eingenommen werden möge:** & ab his generalibus nulla mutatio (Veränderung) immunis est; nisi 1. cum parens, vel Mater unum tantum filium, vel filiam, nepotem, aut neptem relinquit. 2. si relinquat plures, quam diu manent in communione: hæc explicatio hujus vocis (Veränderung) facta est 1. per declarationem Ferdinandi III. de 8. Junii 1646. & rursus per declarationem Leopoldi I. de 21. Nov. 1659. Ex quo sequitur, etiam in eo casu laudemium deberi, pro quo descendentes, qui post obitum majorum suorum, vineam v. g. emphyteuticam indivisim possederunt, per divisionem à communione recedunt.

2. Verum esse, jus illud exigendi laudemium (quod in cit. rescriptis Ferdinandi III. & Leopoldi I. vocatur privilegium) à Ferdinando II. ut dictum est, generaliter concessum esse pro Sty-

Ggg ria:



ria: Sed not. 1. ex materia substrata, & natura rescripti ad querelam principi depositam, sensum ejus eruendum. Propositum fuit ex vineis, quæ pluribus oneribus subjectæ fuerant, fieri alia novalla, vel econtra, & ab emphyteutis vinearum in venditione novalium, vel novarum vinearum ab emphyteutis domino directo laudemium negari &c. &c. ac inde longas nasci lites; econtra per duos directos verbum illud mutatio (*Veränderung*) nimium extrudi, ac laudemium exigi etiam in casibus, ubi non intervenit *mutatio*, cui sit annexum jus exigendi laudemium; cui malo positurus medium Imperator dedit rescriptum supra citatum, & statuit in casu venditionis, vel *mutationis* deberi laudemium; quo habetur, per hoc rescriptum verbum mutatio (*Veränderung*) in statu juris communis relictum esse, & solum declaratam esse materiam, supra quam cadit *mutatio*, habens annexum onus pendendi laudemium; quare per hoc limitationes à n. 1764. positæ, non evertuntur; cum non vertentur circa materiam *mutationis*; sed ipsam *mutationem*.

1770 Not. 2. quòd, cum domini directi, post ea generalia Ferdinandi II. publicata, illud verbum *alienatio*, vel *mutatio* (*Veränderung*) valde ampliaverint, & in emphyteutarum grave præjudicium extenderint, specialiter respectu der *Erbschaft* / & in casu hæreditariæ successionis, ut expressè ponitur in omnibus rescriptis Ferdinandi III. & Leopoldi Cæsaris, supplicatum fuerit Imperatori, ut pro communi tranquillitate dignaretur declarare sensum verbi *mutatio* (seu *Veränderung*) respectu der *Erbschaft* / & hæreditariæ successionis; ad hanc supplicationem in præcit. rescript. datam esse istam claram Cæsaris resolutionem, quæ ponitur in object. quòd hoc verbum *mutatio* (*Veränderung*) de præstando laudemio, locum non habeat vi generalis rescripti. 1. Wann ein Vater oder Mutter nur ein Sohn / oder Tochter / oder ein Enckel unterlassen thäte; 2. Da mehr Kinder oder Nepotes vorhanden wären / welche den

von ihrem Vater oder Mutter / Dehul oder Undl ererbten Weingarten in communionem behalten / und mit einander hauen und bauen würden; quibus positis:

Resp. dictam objectionem in n. 1768, & multas alias, ex eo Cæsaris rescripto malè inferre; ergo ut *primum hæredes dividunt*, vel per ipsam divisionem à communionem recedunt, ex illa vinea hæreditaria debetur laudemium; nam huic sequela expressè præventum est, utriusque Imperatoris rescripto, ubi declaratur, tunc solum deberi laudemium *per recessum* ex communionem, quando *non per ipsam divisionem* hæredum, sed *post divisionem* vinea, vel ad unum ex his, qui erant in communionem, vel ad extraneum, venditionem perveniret, ibi: So bald sie aber / nach beschehener Abtheilung / den ererbten Weingarten einem auß ihnen / oder einem Frembden verkauffen würden / solches alsdann für ein wahre Veränderung gehalten / und sie alsdann / den 10. Pfennig darvon zu geben / schuldig seyn; ergo non per qualemcunque recessum à communionem, vel per ipsam divisionem; Sed tantum tunc, cum post factam divisionem per venditionem transit ad unum ex illis, vel ad extraneum. Ex hoc autem clarè sequitur prædictis limitationibus per hæc Cæsarea generalia non derogari; cum per ea circa juris communis constitutum nihil sit immutatum; sed tantum declaratum, extensionem illam (de qua quæsitum fuit) in propositis casibus non habere locum, & laudemium etiam deberi in casu, esto vinea transierit in novale, si alienetur, vel econtra.

§. 5.

An emphyteusis cum Emphyteuta transeat ad Religionem?

Hæc quæstio etiam proponi solet de usufructuario Religionem professore;



& quoniam, resoluta quaestione praesenti, facile quoque statueretur de Emphyteusi; dicendum usufructum non extingui usufructuarii professione in Religione bonorum capaci; hanc sententiam tuetur Cynus, Baldus, Salycetus, Bartolus, Sylvester, Molina, Azor, & plurimi alii, quos citat & sequitur Thomas Sanchez l. 7. Decalogi c. 13. n. 48. ante prob. not. 1. monasterium, habens jus bonorum in communi, & successionis, succedere in omnia religiosi bona, de quibus ante professionem non disposuit, sive ab ipso ante professionem, sive post acquisita sint, sive titulo donationis, hereditatis, aut quocumque alio acquisiverit; Constat aperte §. *Ingressi*. & §. *Si qua mulier*. C. de Sacrosanct. Eccles. defumpt. ex §. *illud quod*. Authent. de Monachis, & §. *si qua*. Authent. de sanctis. Episc. Item c. *Si qua mulier*, & c. *quia ingredientibus*. 19. q. 3. de hac legum vi diximus à n. 1711.

1773 Probatur assertio in n. praeced. Monasterium ipso facto, seu ingressu personae in ipsum translatae, accessorie, & per consequentiam persona, sine ulla exceptione alicujus juris, succedit in omnia bona sui professi, quae ante ingressum habet, & de quibus ante non disposuit ex n. praeced. Sed inter Professi bona, usufructus est aliquod bonum, quod habuit ante ingressum, ut ponitur in casu; ergo si de illo ante ingressum non disposuit, per consequentiam persona, & accessorie transit in Monasterium; ergo religiosa professione non extinguitur; & ita docent Gloss. Auth. *ingressi* v. *dedicant*. Cynus, Baldus & alii, quos citat, & sequitur Sanchez cit. c. 13. n. 48.

1774 Ex hoc etiam §. ad principale quaestione in n. 1772. nimirum per professionem religiosam jus emphyteuticum cum emphyteuta transire in monasterium capax bonorum in communi; Loquimur autem 1. de homine, qui habet jus emphyteuticum ante ingressum in Religionem capacem bonorum in communi. Loquimur 2. in casu emphyteusis hereditariae, in cuius constitutione non est adjecta clausula, *ne transferatur in Ecclesiam*: quo posito, Tom. III.

ratio nostri asserti est, quia Monasterium capax bonorum in communi per professionem Religiosam ipso facto succedit in omnia bona sui Professi ante ingressum habita, de quibus ante non disposuit, idque sine ulla exceptione, ut probatum est n. 1773. sed inter bona emphyteuta professi, ante ingressum ponitur emphyteusis, de qua loquimur; ergo monasterium capax bonorum in communi per professionem religiosam emphyteuta, ipso facto, seu ingressu succedit in ejus emphyteusim, si ante ingressum de illa non disposuit; ita sine limitatione tenet Laym. l. 3. tr. 4. c. 43. n. 15. Jason in L. 2. C. de jure emphyt. & alii, quos citat, & sequitur Streinius p. 2. Jur. can. tit. 10. §. 2. n. 6. ex c. *Beneficium* v. *conferendum* de Regularib. in 6.

Not. autem quod Abbas c. *In praesentia* de probat. & Jul. Clarus l. 4. recepat. §. *emphyteusis* q. 33. docent; emphyteusim non modo Ecclesiasticam, sed etiam secularem in hoc casu transire in Monasterium, sed revocabiliter, ita, ut sit in opinione domini directi, consentire translationi, vel cogere monasterium, ut alienet à se, transferendo illam in personam non magis privilegiam, ac fuerit primus emphyteuta. Rationem dant, quia, si monasterium ad hoc non posset cogi, conditio domini directi redderetur deterior, quia periret Spes laudemii unquam sibi solvendi, & utilis domini ad se redituri.

Verum haec clausula (sed *revocabiliter*) immerito apponitur; cum omnia professi jura, sine ullius exceptione, clarissima legum dispositione, per canones recepta, sequantur personam professi Religionem capacem bonorum in communi, nec alio jure cautum sit, licere habenti dominium directum (praeterquam Ecclesiae) revocare rem emphyteuticam sic translatae, nam Ecclesiae, tanquam aliquid speciale, concessa est facultas revocationis intra biennium §. 1. auth. de alienat. & emphyt. nec urget ratio in contrarium, qua dicitur, quod, si res emphyteutica, cum emphyta professo, non revocabiliter, transfret in monasterium, conditio domini directi fieret deterior, quia hoc fallit quoad lan-



laudemium; nam dominus directus jus laudemii, recipiendi deinceps titulo huius jus emphyteutæ semel ritè investiti, nec habet, nec habuit, nisi cum ab hoc jus emphyteuticum transfertur in aliam personam; sed hoc totum illi saluum manet, esto cum emphyteuta per consequentiam personæ transeat in monasterium, ut patebit ex sequent. ergo quoad hoc punctum, etiam stante assero nostro, conditio Domini directi non evadit deterior.

1777 Sed nec evadit deterior ex altero capite, quòd deficeret spes utilis domini ad se unquam redituri; nam talis emphyteuta translatus in monasterium, vel habet jus utile sibi constitutum ad certum terminum? vel sine termino? si primum? fit caducum lapsu præfixi termini; si secundum? caducum erit iuxta dicta. Coeterum, esto in dato casu, conditio Domini directi (negati illi iure revocationis) evaderet deterior, ipse sibi imputare debet, quòd hoc non deduxerit in pactum; & ideo hanc sententiam apud Sanch. cit. tenent Baldus auth. *Ingressi*. n. 22. C. de ff. Eccles. Salycet. Decius, Sylv. v. *Religio*. 6. q. q. dict. 2. Azor Instit. Moral. tom. 1. L. 12. c. 8. q. 4. &c. Hinc, si emphyteusis concessa sit illi professo ante ingressum, pro se, & suis hæredibus, transire illam in monasterium perpetuò, & irrevocabiliter, sive secularis sit, sive Ecclesiastica, docet Bartol. authent. *ingressi*. in secunda lectura n. 37. Beroius c. *in presentia*. de probat. n. 419. excipe nisi ex alio capite fiat caduca, v. g. non soluto canone; ratio est, quia concedens potuit cogitare, quòd talis emphyteuta habere possit, in hæredem, Monasterium, quòd nunquam perit. Ex quo sequitur, idem dicendum, non tantum in casu emphyteusis à professo ante ingressum habitæ; sed etiam, post ingressum acquisitæ per hæreditatem.

1778 Dixi, quando non est adjectum pactum, *ne transeat in Ecclesiam*, vel *Monasterium*; hinc quæstio est, an ejusmodi pactum obstet, quò minus, emphyteutæ professione, transeat in Monasterium? R. negativè cum Sanchez cit. c. 15. n. 63. contra Haunoldum tom. 1. de Just. tr. 4. n. 27. cujus ratio jam so-

luta est supra; nam illa translatio, in pactum deducta, intelligitur de translatione voluntaria, & nascente ex facto hominis; non autem necessaria, seu inducta à lege, in consequentiam personæ translata, & pro ejus vita; cujus ratio est; quia eo iure, ratione personæ translata, monasterium habet bona sui professi (quam diu ille naturaliter vivit) quo iure illa possessurus erat professus, si mansisset in seculo iuxta dicta: Sed non obstante pacto, *ne alienet, vel transeat in Ecclesiam*, illa possessurus erat toto vitæ tempore: ergo illa similiter habere potest monasterium ratione personæ in ipsum translata, quam diu professus naturaliter vivit.

## §. 6.

*An, quando emphyteusis transit in dicto casu ad Monasterium, Domino directo debeatur laudemium?*

Quæstio 1. procedit de tempore, quo emphyteuta naturaliter vivit: Resp. quod non; ex *L. fin. C. de re emphyt. relata* superius n. 1763. sed in casu, quo transit ad monasterium per consequentiam personæ, seu ipsius emphyteutæ professi, non transit ad aliam personam, ut probatum est n. 1766. & confirmatur 1. ex dictis num. 1767. nam si monasterium recipiens emphyteusim ratione ipsius personæ, seu emphyteutæ professi, esset alia persona, non posset recipere usumfructum per professionem usufructuarii; hoc autem falsum est ex dict. loc. cit. ergo. Confirmatur 2. quia laudemium non debetur, cum alienatio, vel mutatio est necessaria ex n. 1765. sed in casu, quo emphyteuta proficitur, & prius non disposuit, esto foret aliqua mutatio, ea tamen foret alienatio, vel mutatio solum necessaria, adigente ad hoc dispositione legum, tum civilium tum canonicarum, ut per se patet; ergo. Confirm. 3. ubi non est novus emphyteuta; non debetur laudemium, ut expressè docet Sichardus cum aliis relatus n. 1766. sed in hoc casu non est novus



novus emphyteuta, quam diu professus naturaliter vivit, ut ostensum est n. 1779. maximè, si in prima investitura primo emphyteuta, & ejus hæredibus jus utile, constitutum sit, ut notavimus ex Sichardo n. cit. ergo.

1780 Altera quæstio est, an debeatur laudemium, quando res emphyteutica, post professionem emphyteuta, ad monasterium, successionis capax, devolvitur ex hæreditate paterna? Resp. quod non, quam diu talis professus naturaliter vivit; ratio est, quia monasterium successionis capax, & ratione sui professi ex paterna hæreditate succedens in rem emphyteuticam, eo ipso succedit jure suæ, & ut hæres necessarius ex n. 1766. sed in tali casu non debetur laudemium ex n. cit. Ergo. & confirm. 1. cit. argumentis prioris §. Secundò ex hoc, quia monasterium habet omnia jura sui professi perinde, ac si iste religionem professus non fuisset ex n. 1778. sed si iste professus non esset, nullum directo domino deberet laudemium in casu, quo res emphyteutica ad illum deveniret *jure Suiæ*, ut passim docent authores; ergo etiam nullum debetur directo domino laudemium in casu, quo venit eodem jure ad monasterium ratione professi, post ingressum.

1781 Dices 1. laudemium debetur, quoties fit *vera mutatio* emphyteuta, sed quando jus emphyteuticum transit ad monasterium, sive per professionem ipsius emphyteuta, sive per hæreditatem paternam devolutam ad filium, jam professum in Religione, successionis capaci, fit vera mutatio emphyteuta; ergo in utroque casu debetur laudemium. Min. pat. quia *mutatio* consistit in *translatione* rei emphyteuticæ v. g. vineæ; sed hanc professus per professionem transfert in Monasterium; ergo per professionem fit *mutatio*. Resp. 1. N. ma. universaliter, idque non tantum ex mente Doctorum, qui Religiosi sunt; sed etiam secularium, ut Bartoli, Sichardi, & aliorum plurimorum quos retulimus à n. 1763. quibus ex Religiosis accedit Ludovicus Engel. p. 1. l. 1. tit. 21. §. 3. n. 11. in editione 1671. & in Colleg. juris canon. l. 3. tit. 31. n. 37. Nec video, quomodo rejici possit hæc autho-

ritas ex eo, quod sit *Doctoris Religiosus*; si rem controversam definiat fundamento liquido, & in jure fundato, nisi velis ex eo, quod sententiam suam dicat in favorem monasterii; sed sic ponis argumentum longè validius in omnibus, quoties Jurisconsulti favent seculo. Illa igitur major fallit de jure communi, cum mutatio est *necessaria*, vel fit *per consequentiam personæ*, ut notatum est à n. 1767. & seq. Neque his præjudicant in his terris generalia Principum, sed potius corroborant, ut ostensum est à n. 1768. ergo.

Hinc in forma dist. ma. laudemium debetur, quoties fit *vera mutatio* emphyteuta *voluntaria*, trans. ma. *necessaria*, N. ma. sed in casu, quo emphyteutis per ipsum professum transit in Monasterium consequentia personæ in primis nulla est *mutatio personæ* ex n. 1766. & si esset, esset mutatio solum *necessaria* ex n. cit. in casu autem, quo à Patre immediate per hæreditatem paternam devolvitur ad filium post professionem, acquiritur jure suæ, ut ostensum est n. cit. ergo. Quidam negat, filium post professionem religiosam in religione successionis, & bonorum in communi capace, jus suæ retinere, *allegans*, se id nunquam legisse; sed hoc nihil probat, cum id expresse doceat notissimus Sanchez l. 7. Decal. c. 12. n. 5. ubi ait: *hoc passim teneri à Doctoribus, nemine, quem viderit, contradicente*; certum autem est à Thoma Sanch. & visos, & lectos esse quam plurimos, ut constabit inspicienti ejus opera sapientissima.

2. Data majori in object. n. 1781. 1783 posita, n. min. ad prob. dico, mutationem, propter quam debetur laudemium, non esse qualemcunque translationem juris emphyteutici; sed translationem, qua desinat esse *in priori personæ*, & constituitur *in alia*, constat ex n. 1763. & 1785. cum seq. at translatione rei *cum ipsa personæ*, seu *solum per consequentiam personæ* non aufertur à *priori personæ*, sed in illa remanens, cum ipsa transfertur in monasterium; ergo in hoc casu non fit *mutatio personæ* habentis jus utile, sed ad summum modum illud habendi, nimirum in hoc, quod antea jus utile habuerit cum potestate in illo disponendi



di per se ipsum immediatè, & post ingressum habeat jus de illo disponendi, sed dependenter ab eo, qui gerit administrationem bonorum pertinentium ad communitatem, cujus ipse est pars, id, quod etiam ad dies vitæ facere non profectus.

1784 Negandum igitur est, quod per professionem religiosam, in religione bonorum in communi, & successionis capaci, fiat *vera mutatio*, in qua fundatur jus exigendi laudemium, vel professus sit *exutus* omni dominio, & *proprio, etiam in communi*; nam professio religiosa in ejusmodi religione, non aequivalet morti naturali, ut probatum est lib. 2. tit. 1. &, licet professus censeatur *mortuus spiritualiter*, (nimirum quoad propriam voluntatem, quam Deicausâ subdit alteri) non est tamen *mortuus civiliter* (proprie loquendo) nimirum, quoad effectus juris, nec in sensu juris perdit libertatem, sicut *seruus*; alias enim nec de licentia Prælati posset stare in iudicio, vel disponere derebus, quas ante ingressum habuit &c. quod tamen passim negatur, & est contra notissimam praxim.

1785 Ex dictis coll. 1. negandum esse, quod jus utile in dato casu emphyteutæ profecti, *ab hoc in alienum dominum transferatur*; esto verum sit, quod *cum ipse*, & per consequentiam personæ in monasterium transeat, sic tamen, ut solum ratione ipsius; non autem ratione sui, monasterium illud habeat, quam diu professus naturaliter vivit; igitur jus suum non transfert in monasterium, illud à se omnino alienando, sed tantum in communionem admittendo.

Coll. 2. esto transmittatur (si professus ante ingressum fratri suo relinqueret jus emphyteuticum, vel hic illi, aut Pater filio, alio titulo, quam hæreditatis) deberi laudemium; negari tamen, hoc deberi in casibus propositis: quia frater non habet ipso facto omnia jura fratris, sicut religio omnia jura sui profecti ex n. 1780. secundo, quia ibi jus utile non transit ad alterum mutatione *necessaria*, vel per consequentiam personæ. 3. quia filius eo casu emphyteusim non haberet, *ut hæres suus*. Denique illud antecedens fallit in casibus expressis à n. 1768.

Coll. 3. ex eo, quod (si quis uxori suæ donaret vineam emphyteuticam) deberetur laudemium; nullam fieri paritatem & casum, quo emphyteuta illam per professionem secumfert ad monasterium. Nam 1. hæc translatio est *necessaria*, & per consequentiam personæ; non illa; 2. hæc translatio est per transitum emphyteutæ in communitatem, in qua se Deo dedicat; non illa 3. uxor per connubium, non est *eadem persona cum viro, juridice*, nec per hoc, quod conjuges sint duo in carne una, sunt eadem persona in iuribus. Nec enim ex hoc uxor succedit in omnia bona viri sui, sicut monasterium in omnia jura sui profecti ex n. 1780.

Coll. 4. Nec bene fieri paritatem ad casum, quo jus emphyteuticum ex hæreditate paterna post religiosam professionem devolvitur ad monasterium, ratione sui profecti; quia monasterium ratione sui profecti, tunc stat, ut hæres suus ex dictis: hinc sine ullo fundamento juris dicitur, quod filius jura, vel privilegia, filiis, aut descendentibus concessa ex rescripto Principis, per consequentiam personæ non ferat secum ad monasterium, in quo profiteretur; Nam 1. manifeste id repugnat legibus allatis in supra, quæ clare dicunt, quod eum sequantur omnia sua jura, & res; nec statutum aut consuetudo ulla, ut notavimus n. 1774. (nisi legitima) illi derogare potest, quæ in his terris nulla extat, ex n. 1768. cum rescripta Principum pro his terris potiori jure firmant sententiam nostram; nam licet ejusmodi rescriptum etiam in stricta interpretatione sumatur; certum tamen est, quod per professionem non desinat *naturaliter*, esse filius, ut manifestum est omnibus, sed nec *civiliter* desinit esse filius; quia professio religiosa in religione bonorum in communi, & successionis capaci, non habet vim extinguendi jus filii in professio (ut certum est apud omnes Canonistas, scribentes de jure Regularium) sed tantum ligandi eum, ut eo non utatur licitè, vel etiam valide, nisi dependenter à voluntate illius, qui nomine communi administrat bona talis monasterii.

Coll. 5. esto darem, quod in rescriptis



ptis pura veritas, non autem fictio inspicenda sit (quod tamen in plurimis fallit) in casu tamen nostro, professum illum in religione (de qua loquimur) post professionem æquè, ac ante, esse filium, & habere jura filii, veritas est, non juris fictio; nam jus filiationis per professionem in ejusmodi religione non extinguitur; quia, cum certum sit, incapacitatem dominii non esse *ex natura voti paupertatis*, etiam *solemniter* professæ, ut constabit amplius ex dicendis; sed tantum speciali constitutione juris positivi, ut expressè definivit Gregorius XIII. in bulla *ascendente*. edita 1584. 8. Calend. Junii, & alias habetur c. *unic.* de voto, in 6. eo ipso in nullo professo, vi suæ professionis ulla, vel major incapacitas dominii, aut juris erit, quam Ecclesiæ constitutione definitum sit; at in filiis; vi suæ professionis, in religione bonorum, & successionis capaci, extingui jus filiationis nullibi definitum est in jure; imo contrarium apertè constat ex dictis; ergo falsum est, quod professus sola *jurisdictione*, & non *vere* retineat jus suæ, & re ipsa, ex qualitate filii, recesserit per professionem: accedit, quod per Generalia Casarum, respectu Styriæ, non qualiscunque recessus ex communione hæredum, sed tantum recessus *per venditionem rei*, post hæreditatis divisionem, pariat obligationem laudemii ex n. 1771.

1788 Nec ex eo (quod, si professus vellet, major autem pars vellet, vendi vineam v. g. ipsius suffragium nullum esset) rectè sequitur: ergo nullum habet dominium, quia juxta n. per usum præcisè annullatum, non est annullatum jus; alias pupillus non esset rei dominus; quia, quando absque auctoritate tutoris, extra casum sibi lucrosam, disponit de re sua, dispositio est jure nulla; at ex hoc non rectè arguitur, pupillum non habere illius rei dominium, licet sit vinculatum; ergo etiam ex illo casu non rectè arguitur, professum nullam illius rei habere dominium, quia, ut rectè notat Wadingus de contractibus D. 2. d. 2. religiosi, qui administrationem non habent, aut licentiam Prælati, quoad suos contractus comparantur

pupillis. 2. quia per hoc solum sequitur, eum carere administratione, & jure disponendi particulariter, non autem communiter, ut dictum est; ergo.

Coll. 6. esto detur, quod, si monasterio legasset vineam, hoc deberet laudemium ipso *naturaliter* mortuo; non tamen idem sequi, quando ipse vineam emphyteuticam per religiosam professionem, & consequentiam personæ fert ad monasterium, aut monasterio obvenit hæreditate paterna, ratione filii professi; nam in casu legati monasterium non habeat vineam *ratione personæ* in ipsum translata, sed *facto hominis*; seu *dispositione legantis*; secus in casu, quo vinea sequitur emphyteutam; nam in hoc casu monasterium non capit vineam, ut *heres* sui professi, ex dict. nec in eo casu legati monasterium recipit vineam, ut *heres suus*; secus in casu vineæ post professionem filii, obitu patris ad monasterium, ratione professi, devoluræ, ut dictum est n. 1780.

Et ideo notandum, quod, quando dicitur, *monasterium haberi, & esse loco filii*, non sit sensus, quod monasterium habeatur tanquam *filius, personæ in ipsum translata* professione, eique succedat, ut *filius ejus* (quia sic monasterium esset in potestate sui professi) sed quod monasterium eodem modo, ratione sui professi stet loco filii respectu ejus, respectu cujus ille professus habetur filius; quia, ut dictum est, filius monasterium ingressus nihil perdit ex illis jurebus, quæ ante habebat, quoad successiones in bona parentum, retinetque jura suæ, & similia; hinc monasterium (si moriatur secularis parens professi) intentat nomine sui religiosi (qui adhuc vivit naturaliter) petitionem hæreditatis (ut fundatè docet Wadingus *ibid. cit.*) & ejus præteritione, testamentum rumpitur æquè, ac in casu præteriti filii non religiosi.

Dices 2. si ex eo, quod filius in monasterio bonorum, & successionis capaci profitendo, secum ad illud ferat rem emphyteuticam, non deberet solvi laudemium, fieret magnum præjudicium dominis directis; ergo tali casu solvendum est laudemium; verum ex quo capite? quia per hoc fit mutatio?



tatio ? in qua fundatur debitum laudemii ? sed hoc negatur ex dict. à n. 1779. an, quia eadem persona sed nunc religiofa vineam habet jure possidendi bona communiter ? at per hoc non ostenditur, quod sit *novus* emphyteuta ex n. 1766. sed tantum, quod sit idē in alio statu & quidē in statu sacro, propter quod gravi religionem, quæ loco filii recipit illū emphyteutam, alienum est à recto, & omni juris æquitate. Accedit, quod in nullo præjudicetur domino directo, esto in dato casu non solvatur laudemium; quia per hoc nihil perdit, quod ei obvenisset, si emphyteuta non esset professus à n. 1766. nam ejus naturali morte secuta, monasterium pender laudemium; quia tunc capit vineam, emphyteusi subjectam, ut hæres emphyteutæ defuncti, si eam (ante professionem) per ultimam voluntatem, in eventum suæ mortis *naturalis* monasterio cesit; ante hanc autem monasterium eam non habet, ut hæres, sed acquisitione naturali, ut dictum est; ergo.

## §. 7.

## De melioratione rei emphyteutica.

**T**ertiam emphyteutæ obligationem dixi n. 1752. esse obligationem faciendi rem meliorem, secundum nomen, & concessionis rationem; nam olim in emphyteusim dabantur agri deserti, & minus fertiles, redigendi ad culturam, sic, ut in eo peccans, fundo expelli posse videatur, arg. c. 3. h. t. & L. 3. C. Locati; hoc tamen intellige de cultura, & meliorationibus, quas communis diligentia colonus adhibere solet, & quibus non adhibitis res deterior fieret, v. g. si non putaret arbores, si tribulos, aliaque inutilia fruteta, non purgaret, si non plantaret arbores in locum demortuarum &c. & harum meliorationum æstimationem emphyteuta, etiam emphyteusi finita, non repetit.

**1793** Communior igitur sententia habet, emphyteutam teneri ad rem meliorandam; sic Fachinaus lib. 1. c. 92. & alii; sed hoc posse dupliciter intelligi, 1. ut red-

dat meliorem ultra communem diligentiam coloni; 2. cum communi diligentia sic, ut ea prætermissa res deterioretur, & ad hanc meliorationem ex vi contractus emphyteutici, emphyteutam teneri, communis tradit; & ejusmodi meliorationes emphyteutam non posse repetere à Domino, etiamsi sine ejus culpa emphyseusis finiatur; secus tamen est de illis, ad quos, vi talis contractus, non tenebatur.

Cæterum emphyteuta non tenetur, **1794** sed potius Dominus directus restaurare ea, quæ absque culpa emphyteutæ penitus collapsa sunt, vel incendio, aut alio casu absumpta, ut domus, horrea, putei; ratio est; quia substantia fundi ab eo restituenda est, ad quem pertinet; deinde si emphyteuta ponat alias meliorationes, ad quas vi contractus non tenetur, v. g. si domos: aut horrea, aut stabula, de novo ædificet, tunc resoluta emphyteusi, absque culpa emphyteutæ, potest horum æstimationem repetere; colligitur L. 7. §. 16. ff. *solutio matr.* ubi simile quid traditur quoad maritum, ibi in fine: *plane, si novam villam necessario extruxit, vel veterem totam sine culpa sua collapsam restituerit, erit ejus impensa petitio; simili modo, & si pastina instituit:* hæ enim impensæ, aut in res necessarias, aut utiles cedunt, pariuntque marito actionem; idem dicitur L. 7. C. de usufructu; L. 16. ff. locati; L. 55. §. 1. eod.

**1795** Questio nunc est, an emphyteuta incidat in commissum ob rem deterioratam; dicitur res deteriorari, cum evadit pejor, ut notat Pereyra in Elucidar. n. 1863. seu, quando ab eo statu, in quo prius erat, diminuitur; de emphyteusi Ecclesiastica videtur affirmandum ex Authen. qui rem. C. de ff. Eccles. (quæ desumpta est ex Novell. 120. c. 3.) ibi: *qui rem ejusmodi conductam, vel in emphyteusim acceptam fecerit deteriorem, aut emphyteuticam canonem per biennium non solveris, hac lege repellit potest, ut tamen solvat totius temporis pensionem, & id, in quo rem lasit, resarciat, non repetiturus, si quid impendit nomine meliorationis.*

Circa istum casum quaeritur 1. an hæc **1796** poena commissi locum habeat etiam in



emphyteusi seculari? 2. an sufficiat Deterioratio tantum *modica*? 3. an si non sit deterioratio perpetua *fundi*, sed tantum *fructuum*? 4. an eidem locus sit, ex qualibet emphyteuta culpa? 5. an si excisis, v. g. arboribus plantasset vineam? ad 1. R. probabilius esse, quod sic; cum sit laesio in obligatione, quae est de substantia contractus emphyteutici; ad 2. R. quod non; quia poena est *gravis*; sufficit tamen deterioratio partis majoris; ad 3. R. quod non sufficiat deterioratio *fructuum*, sed *fundi*; nam diminutione fructuum, sibi, non *domino* nocet; ad 4. R. quod non; sed requiri culpam saltem levem ex dict. supr. cum iste contractus tendat in utriusque commodum; ad 5. R. id esse controversum inter Doctores; ceterum, si attenditur finis, cum obligatio petat meliorationem solum negativè, hoc est, ne res deterior fiat, & vinea rem meliorem reddat, videtur dicendum negativè.

## §. 8.

## De renovatione emphyteusis.

1797 **Q**uestio est, an resoluta emphyteusi, non per commissum, aut finem temporis, sed haereditaria, vel ex pacto, & providentia, dominus directus teneatur ultimi possessoris successori renovare contractum emphyteuticum? R. probabilius esse, non *teneri*; quia ad id non tenetur quis ex vi contractus celebrati, praesertim stricti juris; quod non continetur in prima conventionione (nam contractus legem accipiunt ex conventionione) sed casus ponit, in conventionione talis emphyteusis nihil contineri, quod à Domino directo renovari debeat emphyteusis ultimi possessoris successori, resoluta ea emphyteusi; atque adeo deficientibus descendentes, cum ea solum se extendat ad descendentes, ex ipso casu talis emphyteusis: Ergo; praesertim, cum juxta communioem Doctorum sententiam, contractus emphyteuticus sit stricti juris, & consequenter etiam pacta illis adjecta, ut tradit Fachinæus l. 2. Controv. juris c. 99. cum in §. 23. Instit. de action. ubi enu-

Tom. III.

merantur accuratè contractus *bonae fidei*, non contineatur, nec intelligi possit venire appellatione locationis strictè acceptae; ubi L. 1. C. de jure emphyt. expressè dicitur: *Jus emphyteuticarium neque conductionis, neque alienationis esse titulis adjiciendum*; sed hoc jus, tertium esse constituimus, ab utriusque memoratorum contractuum societate, seu similitudine separatum.

Et quamvis aliqui in contrarium adducant L. 1. ff. de aqua quotid. & aestiv. §. 41. ubi dicitur, quando alicui conceditur, aquam ex castello, vel ex rivo, vel ex alio loco publico ducere (quod datur interdum praediis, interdum personis ibi: *Ab eo, ad quem dominium praedii transit, esse impetrabile, si docuerit esse praedii suis aquam debitam, & si nomine ejus fluxisse, à quo dominium ad se transit, sic, ut hoc non sit beneficium; sed injuria, si quis foris non impetraverit*: Hæc tamen lex nihil probat, quod Dominus directus ultimi possessoris, seu emphyteuta successori, resoluta emphyteusi propterea, quod non adsint descendentes, ad quos ex prima conventionione solum porrigitur, teneatur emphyteusim renovare; cum in dicta lege nullum verbum extet de *emphyteusi*; unde quando ibi dicitur: *Injuriam esse, si non impetraveris jus aquae ducende ex publico rivo, ubi hoc exigit necessitas praedii, cujus dominium in successorem translatum est*, non denotat injuriam contra justitiam commutativam; sed potius legalem, quæ in principe providentialis est, postulante nimirum aequitate principis, ut qui suos aequitate aequali prosequi tenetur, & consequenter alteri non negare, quod exigente bono communi uni concessit; sed loquendo de *emphyteusi*, non agitur de concedendo aliquo ex eo, quod est *juris publici*, ut est *rivus*, vel *fundus publicus*.

Coeterum nec ex dato casu ad *emphyteusim* arguitur, quam ad *locationem*; alias enim resoluta contractu locationis locator etiam successori Conductoris teneretur locationem domus facere; unde in hunc finem potius servit, quam obstat L. 4. C. de locat. praedior. civil. ubi dicitur: *Congruit aequitati, ut veteres*

Hhh

pos-



possessores fundorum publicorum novis conductoribus preferantur, si facta per alios augmenta suscipiant; nam ex hoc ipso textu, patet 1. nullam fieri mentionem obligationis, qua locator teneatur veteres possessores novis Conductoribus preferre; 2. non est sermo de re immobili privata, locationi tradita; sed tantum publica, ibi: *fundorum publicorum*; cum tamen quæstio proposta solum agat hic de bonis *privatis* emphyteusi subjectis.

1800 Aliud est, si quis vocetur in successionem emphyteutis, vel feudi, tanquam inclusus in prima conventionem; nam huic dominus directus non possit jure negare renovationem, propter rationem oppositam? quæstio tamen fieri hac occasione potest, an, quando in successionem feudi, vel emphyteutis aliquis vocatur, proximior, attendi debeat? ad hoc respondet Castropalaus tom. 7. de Just. commut. D. 5. p. 22. §. 4. n. 1. *in successione feudi proximiorum ultimi possessoris; non prioris acquirentis locum habere juxta c. 1. de natura success. feudi; & idem esse in fideicommissio, & majoratu familiae, seu agnationi relicto ex textu in L. cum ita. §. in fideicommissio. ff. de legatis 2. de quo late Covarru. pract. qq. c. 38. & docuit in materia retractus. Molin. de Hispan. primog. lib. 3. cap. 9. n. 15. Matien. L. 8. gloss. 3. tit. 11. lib. 5. novæ collect. & ibi Azebedo; hinc fit, filium venditoris preferendum esse in retractu patris suo, qui reputatur ei proximior, ut multis in materia primogenii comprobatur Tiraquel. de primog. q. 40. à n. 17. & in specie retractus advertit in præfenti Matienz. L. 8. tit. 11. l. 5. glossa 20.*

1801 Si autem quæras, quid dicendum, si feudum, vel emphyteutis taliter concedatur primo acquirenti, ut, si *Vasallus, seu possessor deccat sine legitimis masculis*, descendantibus feudum fiat caducum, & revertatur quidem ad dominum directum: ex gratia tamen speciali (vulgò *Lebens-Gnad*) ab eodem recidat ad defuncti possessoris filiam, si qua supersit; vel, si nec filia supersit, revertatur ad defuncti Vasalli, seu possessoris proximos consanguineos utriusque sexus (*des verstorbenen Lebens-*

*mann/oder Besitzer nechtste Befreundete beyderley Geschlechts*) an in hoc casu filia defuncti excludat agnatum? vel, si non extante etiam filia defuncti, extet femina defuncto proximior, quam agnatus? &c. affirmative; ratio sumitur ex L. 1. feud. tit. 8. de successione feudi, §. filia verò 2. ibi: *Filia verò non succedit in feudo, nisi investitura fuerit facta in patre, ut filii, & filia succedant in feudum; (tunc enim succedit filia. filius non extantibus) vel nisi investita fuerint*; at in tali feudo investitura fuit facta in patre, seu Vasallo defuncto, ut ponit casus, & filia investita sunt, non extantibus filii legitimis à defuncto descendentibus: ergo in utroque casu (filii non extantibus) per filiam; vel hac non extante, per feminam ultimo possessori proximius consanguineam, in tali feudo excluditur agnatus; talia porro sunt feuda, quæ concedunt suis Imperatores Austriaci, tanquam Archiduces Austriæ, prout expressè habetur instrumento, *der Lebens-Gnad*/ à me sæpius inspecto, & perlecto.

Hinc fit, in tali casu, illa verba (*quod 1802 in casu, quo Vasallus, seu possessor decessit sine legitimis heredibus masculis, feudum recidat ad filiam defuncti, vel, hac non extante, ad proximos utriusque sexus consanguineos defuncti Vasalli, seu possessoris*) non rectè, sed immeritò, & contra omnem intentionem concedentis trahantur in hunc sensum: ut intelligantur, si non extant legitimi heredes masculi *primi acquirentis*; nam concessio expressè loquitur de *ultimo Vasallo & possessore*, si deccat sine legitimis masculis heredibus; & expressè non quibuscunque masculis heredibus, sed in terminis: *Ohne ehliche männliche Leibs-Erben*; quales revera, respectu ultimi vasalli, & possessoris defuncti, nullatenus dici possunt omnes masculi descendentibus à primo acquirenti; & defuncto Vasallo ultimo solum agnati; verè enim, ac proprie solum dici potest is decessisse *ohne männliche Leibs-Erben* / qui non reliquit masculos ex suo corpore descendentes, esto adsint agnati, præterquam, quod hæc expositio contra clarum textum juris feudalis præced. n. relatum, cui si quid in casu particulari dubium eveniret, potius Ju.



Judex in pronuntiando se conformare teneretur.

## ARTICULUS III.

## De reliquis ad hanc materiam pertinentibus.

1803 **Q**uari potest. 1. an sicafu fortuito res emphyteusi subjecta pereat, pereat Domino, vel emphyteuta? R. id constare ex L. 1. C. de jure emphyteut. ibi: *Si tanta emerferit clades, qua prorsus etiam ipsius rei, qua in emphyteusi data est, faciat interitum: hoc non Emphyteuticario, cui nihil reliquum permansit; sed rei domino, qui, quod fatalitate ingruerat, etiam nullo intercedente contractu habiturus fuerat, imputetur. Sin vero particulare, vel aliud leve contigerit damnum, ex quo non ipsa rei penitus ledatur substantia, hoc Emphyteuticarius suis partibus non dubitet adscribendum.*

1804 Secundo, an teneant pacta inter dominum, & emphyteutam inita, etiam super fortuitis casibus? Resp. idem in cit. L. 1. sic definiti, *constituimus, justum esse, validumque, contractum, in quo cuncta qua inter utrasque contrahentium partes super omnibus vel etiam fortuitis casibus, conditionibus scriptura interveniente habitis placuerit, firma illibataque perpetua stabilitate modis omnibus debeat custodiri*, ita, ut, si interdum ea qua fortuitis casibus eveniunt, pactorum non fuerint conventionione concepta.

1805 Tertio, an, si nihil pactum sit de pensione solvenda, vel apocharum exhibitione prestanda, Dominus emphyteutam possit expellere, si neutrum prestitit per totum triennium? Resp. ex L. 2. C. cod. ibi: *Si autem nihil super hoc capitulo fuerit pactum, vel per totum triennium, neque pecunias solverit, neque Apochas domino tributorum reddiderit, volenti ei licere eam a prediis Emphyteuticariis repellere; nulla ei imposterum allegatione, nomine meliorationis, vel eorum, qua emponemata dicuntur, vel pena opponenda: sed omnimodo eo (si Dominus voluerit) repellendo, neque pratendente, quod non est super hac causa inquietatus: cum neminem oporteat conventionem, vel ad-*

monitionem expectare, sed ultro sese offerre, & debitum spontanea voluntate persolvere, secundum quod & anteriore lege nostrinominis generaliter cautum est.

Not. tamen, ibid. subjungi hanc limitationem: ne autem ex hac causa dominis facultas oriatur, emphyteutas suos expellere, & creditum minimè velle suscipere, ut ex hujusmodi machinatione triennio elapso, suo jure is, qui emphyteusim suscepit, cadat; *licentiam ei concedimus, attestacione promissa, pecunias offerre, hisque obsignatis, & secundum legem dispositis, minime dejectionis timere periculum.* Not. autem per Apochas hic intelligi Apocham, seu attestacionem Quæstoris de solutis publicis tributis incumbentibus tali fundo; ejus enim utilitas hæc est, ut Dominus reverso ad ipsum fundo emphyteutico, de publicis illis pensionibus prestitis securus reddatur, ne denuo ab illo exigantur. Si ergo Emphyteuta ejusmodi Apochas, seu Quittantias negligat, statuitur in lege, quod non minus propterea rejici possit, quam ob non solutum canonem.

Quæres 4. quid intelligatur nomine vitalitii? R. per hoc intelligi speciem quandam emphyteusis, nimirum emphyteusim temporalem, quando prædium aliquod, aliave res immobilis vel æquivalenter talis, à Domino conceditur ad vitam unius vel alterius conjugum, ea lege, aut quemadmodum de emphyteusi quotannis pensio solvitur, ita etiam certum quid singulis annis de ejusmodi vitalitio solvatur, & Germanicè dici *Leibgeding*; sicut emphyteusis, seu bona in emphyteusim tradita, *Erblehen/Erbrecht/ Erbbestand/* vel *Erbsünz/ Gut*; simpliciter *Baurenleben / Hoffguth*; Emphyteuta, seu Colonus *ein Erbrechter/ ein Güldbauer*; Dominus directus, *Grundherr*; canon, vel laudemium, saltem à rusticis, *Handlohn/ Aufzuggeld/ Auf- und Abfahrts*; quamquam hoc etiam veniat nomine census emigrationis; sed de his hoc loco satis.